Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

75

DA BOX

No 86.



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ISAGOGE

Ad

OMNES PAULI EPISTOLAS

exceptâ ad Hebræos.

Autore

M. LAURENTIO EDINGERO.

Hafniâ-Dano.

HAFNIÆ,

Literis HENRICI GÖDIANI, Reg. & Acad. Typogr. Anno M DC LXIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ILLUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME

HEROS,

DN. PETRE REEDTZ,

Domine de Tygeſtrup, &c.

EQVES AURATE,
REGIE CANCELLARIE MAGNE,
SENATOR PRIMARIE,
COLLEGII CANCELLARIÆ PRÆSES,
COLLEGII STATUS ASSESSOR,
HADELANDIÆ, ROMERIGÆ, BUSKERUDÆ ET RINGERIGÆ
GUBERNATOR,
LITERATORUM PATRONE OPTIME,
MÆCENAS ET FAUTOR
BENIGNISSIME.

NOn ſum anxiè redditurus cauſas hujus inſcriptionis, quas omnes una abſolvit ſubmiſſæ mentis declaratio. Primùm enim cum plures Te crebris & votis & gratulationibus proſequantur, quod *Sereniſs. Regia Majeſtas*, paucis abhinc diebus, ſublimem illam *ordinis equeſtris* dignitatem in Te contulerit: ego quoq; vel poſtremum mihi inter iſtos locum vendicans, mea cum illis pia vota conjunge-

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

gere ut debui, ſic volui. Accedo itaq́; plenus votorum, gratulationum, precum pro *Illuſtriſſimæ Excellentiæ Tuæ vitâ*, ſalute, ſorte; pro *Illuſtriſſimæ Domus tuæ* auſpiciis, incrementis, flore. Annuat voto Ter Benedicta Trias, ter glorioſa Monas.

Deinde, *Illuſtriſſime Heros*, ſigno aliquali declarare volui animi mei & ſubjectionem & gratitudinem: βδελυρὸν, λήθη χαρίτων καὶ εὐεργεσιῶν ἀμνημοσύνη. Sane tanta ſunt Illuſtriſſimi Soceri tui, τοῦ ἐν ἁγίοις DN. CHRISTIANI THOMÆI SEHESTED, Cancellarii ante Te magni in me meosq́; collata beneficia, ut eorum deponere memoriam, niſi ingratiſſimus videri velim, in æternum non poſſim. Addo quod *Illuſtris familiæ Roſenkrantzianæ* liberali ſtipendio ultra triennium in ſtudiorum meorum curriculo apud exteros largiter ſuſtentatus ſim. Ut ergo me etiam inter clientes tuos benigne numeres, & porrò favore tuo & gratiâ proſequi nunquam deſinas ſupplex rogito. Si hæc quæ voti mei ſumma, abs Te, *Illuſtriſ. & Excellentiſ. Heros*, impetravero, præclarè de me ſtudiiſq́; meis actum putabo, & ad majora, ſi Deus vitam conceſſerit, tentanda, animum & calcar addes. Interea accipe libellum hunc fronte ſerenâ, ani-

moq́;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

moq́; auguſtâ tuâ ſublimitate digniſſimo, nec donum, ſed donantis animú venerabundâ ſubmiſſione pleniſſimum, materiam opuſculi ſacram, fineınq; ſaluberrimum ſpecta. Quod ſupereſt, Deum ter Optim. Maxim. toto pectore veneror & obteſtor, ut tuis votis clementer annuat, graviſſimis conſiliis interſit, eaq́; ad nominis ſui divini gloriam & Patriæ incrementum dirigat & gubernet. Quo in voto deſino & patrocinio tuo etiam atq́; etiam me commendo. Hafniæ VII. Calend. Novemb. Anno M. D. C. LXIII.

Illuſtr. Excellentiæ tuæ

humilimus & devotiſſimus cliens

Laurentius Edingerus
Hafniâ Danus.

De

DE EPISTOLIS PAULI IN GENERE

I.

NOmen habent, vel à certâ regione, ut à Galatis; vel à certis urbibus, ut à Romanis, Corinthiis, Epheſiis, Philippenſibus, Coloſſenſibus, & Theſſalonicenſibus; vel à certis Perſonis, ut Timotheo, Tito, & Philemone. Epiſtola ad Hebræos ſcripta eſt ad certum aliquem populum.

II. AUCTOR. Cauſa Efficiens ſive Auctor Principalis harum Epiſtolarum eſt Spiritus Sanctus, cujus inſpiratu Sancti Dei homines (inter quos etiam Paulus Apoſtolus θεόπεμπτος, καὶ οὐρανόκλητος Act. 9. & 13. v. 2.) non ſolùm vivâ voce Evangelium prædicârunt, ſed etiam in ſcripturas redegerunt, 2. Petr. 1. v. 21 Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes. cap. 1. Non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, qvod qvidem tunc præconiaverunt, poſtea verò per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futuram. Proinde Pauli ſcriptura æqvè eſt θεόπνευστος, ac ipſius doctrina vivâ voce prædicata. 2. Tim. 3. v. 16. Raptus autem fuit in tertium cœlum ac myſteriorum divinorum cognitionem immediatè ab ipſo Chriſto accepit. 2. Cor. 12. v. 2.

Auctor Miniſterialis fuit Paulus Apoſtolus, qui an-

antea dictus eſt Saulus. Act. 13. v. 9. nomine Hebræo שָׁאוּל Schaul, hoc eſt petitus à radice שָׁאַל petivit, rogavit. Huic Chriſtus tribuit elogium, qvod ſit σκεῦος ἐκλογῆς electum organum Dei, ad portandum nomen Chriſti coram gentibus, & Regibus, & Filiis Iſrael. Act. 9. v. 15. Per prædicationem ſcilicet Evangelij. Ipſe Apoſtolus de ſe non falſò, ſed verè teſtatur. 1. Tim. 2. v. 7. 2. Tim. 1. v. 11. quod ſit prædicator & Apoſtolus, Doctor gentium in fide & veritate. Rom. 11. v. 13. Gentium Apoſtolus. Cap. 15. v. 16. λειτουργὸς miniſter legis inter gentes. & 1. Cor. 3. 5. dicit ſe eſſe miniſtrum, per quem Corinthii crediderunt, & á Deo electum, ut ædificationi ipſorum inſerviat. v. 10.

De nomine triplex eſt Veterum ſententia. 1. Quidam (inter quos etiam Origenes) cenſent, hæc duo nomina Apoſtolo ab infantia fuiſſe impoſita, ad denotandum per illud qvidem, qvod origine Hebræum eſt ipſum oriundum fuiſſe ex Hebræis; per iſtûd autem, quod origine Latinum ſeu Romanum eſt, ipſum natum eſſe civem Romanum, eúmqve apud homines ſuæ gentis Saulum, apud cœteros verò & maximè Romanos Paulum appellatum. Hinc Lucas in Actis, cùm de eo verſante adhuc in Syria apud Judæos verba facit, ſolet eum Saulum vocare: poſtea veró cum de eo ad gentes è Syria vel Judæâ remotas profectô loqvitur, Pauli nomen (qvod gentibus familiarius & notius erat) ei tribuit, ipſeqve in Epiſtolis ſuis, quas ad varias eccleſias ex gentibus collectas ſcribit, Paulum ſe, non Saulum nominat.

2. Alij ſtatuunt ab initio tantummodò Saulum fuiſſe nuncupatum, ſed in ipſâ ſtatim converſione dictum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ctum Paulum, vel quod Deus ipſe hoc nomen ei impoſuerit, ne cœteris Apoſtolis eâ parte videretur inferior; Chryſoſt: Theodor. Theoph. Sic Simon frater Andreæ à Chriſto dictus fuit Petrus. Matth. 10. v. 2. c. 16. v. 18. 2. Pet. 1. v. 1. vel qvod ipſe modestiæ & humilitatis gratiâ ſibi hoc nomen ſumpſerit. Hieron. & Ambros. in h. epiſt. Auguſt. de Spiritu & Lit. c. 7. in Pſal. 72. Atqvi Act. 9. ubi Paulus baptizatus, ſemper vocatur Saulus usque ad cap. 13. Act. Ergo poſt baptiſmum diu Sauli nomen retinuit, proinde in baptiſmo non aſſumpſit nomen Pauli. Beza in cap. 13. v. 9. Act inquit, cur nomen mutâſſe exiſtimemus, ſanè non video: non modo qvia nullum habemus ejus rei teſtimonium, ſed etiam, qvia qvoties nomina mutata ſunt, aliqvid in eo myſterij latuit, qvod novo nomine ſignificaretur: ut in Abrahamo, Sara, Cepha & ſimilibus. Pauli verò nomen nihil ejusmodi declarat. Neque enim Ambroſius (quod cum tantorum virorum pace dixerim) aptè in nomine Romano Græcam Etymologiam qværit. Auguſtinus verò potiùs argutè, quàm ſolidè philoſophatur, Paulum dictum, quod ex ſuperbo Phariſæo parvulus Chriſti diſcipulus ſit factus. Nam ſi hoc verum eſt, cur in hunc locum diſtulit Lucas eum hôc nomine vocare? Cur toties Saulum appellavit ex quo Chriſtianus factus erat? Non temerè eſt tamen, quod nunqvam deinceps Saulum illum vocabit.

3. Sunt, qui arbitrantur, eum longè poſt converſionem, nempe Sergio Paulo Cypri Proconſule ad Chriſti fidem converſo, Act: 13. v. 7. ſeqq. hoc nomine ab eventu donatum fuiſſe. Hieron. Epiſt. ad Phi-

lem. Auguſt. lib. 8. Conf. cap 4. Beda in cap. 13. Act. Sic Scipio devictâ Africâ dicitur Africanus. Metellus Cretâ Inſulâ ſubjugatâ, Creticus. Sed falluntur hoc qvi putant, nam ante Proconſulis converſionem Paulus nominatnr. Act.13.v.9. ſeqq. Cum hac Sententia concidit, quod qvidam volunt, ipſum hoc nomen aſſumpſiſſe Act.13. v. 2. & 9. ubi cum Barnaba ſegregatus & deſignatus eſt Apoſtolus gentium, ut ſeſe ipſo nomine gentibus facilius inſinuaret, quia mox ut gentibus prædicare cœpit in hunc Proconſulem Sergium Paulus incidit eùmqve convertit. Eraſmus ſtatuit, Paulo primum Hebraicum nomen inditum, ſic enim Chriſtus eum compellat. Act. 9. v. 4. Deinde, quoniam Ægvptus, Cilicia, & huic finitima Syriæ pars propter Alexandri M. imperium & poſtea Romanam adminiſtrationem jam ferè Græco idiomate uteretur, Hebraicam vocem in Græcam formam fuiſſe deflexam, & ſic ex Saul factum eſſe Saulum ſicut ex Adam faciunt Adamum. Denique quoniam Pauli nomen juxtà Græcis & Romanis erat familiare, è Saulo rurſum factum eſſe Paulum, ut vocabúlum etiam lubentiùs agnoſcerent, qvorum ſe doctorem profitebatur, ac ſic omnia fieret omnibus. Beza dictô locô inqvit, quem admodum ſi quis Hebraicè יוחנן (Johannan) Græcè & Latinè Johannes, Gallicè Jehan, Germanicè Hans; ſi qvis Germanico vocabulo Ludowick aut Dietrick, Latinè Ludovicus aut Theodoricus, Gallicè Louys, aut Thierry nominetur: qvamvis in iſtis multò major ſit varietas, qvàm in Saulo aut Paulo, tamen nemo totidem hæc eſſe diverſa nomina dixerit, ſed eadem potiùs pro idiomatum ratione variata:

Sic

Sic puto qvem Hebræi & Syri שאול (Schaul) vocant, eundem à Græcis, qvi eô tempôre Romanis nominibus magis aſſveverant, Paulum fuiſſe dictum propter ſummam horum nominum affinitatem.

Salmeron Pauli exemplô palliare conatur inſtitutum Pontificum Romanorum, qui nomen qvod in baptiſmo acceperunt, abjiciunt, & aliud throno Papali dignum, eligunt, At maximè diſtat à nominis Paulini mutatione. Nam 1. Sancti non ſua voluntate, ſed Dei nutú nomina mùtârunt. At nullus Pontìficum, cùm in ſedem papalem evehitur, Dei nutum de nominis ſui mutatione habet. Primus Auctor fuiſſe dicitur Sergius II. cui, cùm os porci diceretur, ad obscoenam nominis vocem tollendam datum eſt, ut aliud ſibi nomen optaret. Polydor. Virgil.

2. Nomen Paulus noſtro Apoſtolo, priore non contempto & abjecto, ſed retento, ſicut & aliis Apoſtolis ſupperadditum fuit. Act. 13. v. 9. Matth. 16. v. 18. 2. Pet: 1. v. 1. Matth. 10. v. 1. &c. 3. Apud veteres non niſi ad Chriſtianiſmum primum converſis nomina nova inponebantur in contemptum idololatriæ cui antea fuerant mancipati. Euſeb. lib. 8. c. 21. Vid. Gerhard in Epiſt. ad Rom. c. 1. p 15.

Erat Paulus gente Hebræorum, ſeu Iſraelita; & Judæus ex ſemine Abrahami è tribu Benjamin. Rom. 11. v. 1. Phil 3. v. 5. 2. Cor. 11. v. 22. Patria ejus fuit Tharſus (Hieronymus in catalogo vult Paulum natum fuiſſe in oppido Judææ Giſchalis, & eô à Romanis captô cum parentibus ſuis Tharſum Ciliciæ commigrâſſe) Ciliciæ oppidum nobiliſſimum. Act. 21. v. 39. &. 22. v. 3. ac propterea natus civis Romanus. Act. 16. v. 37. 38.

38. & 22. v. 25. nam Tharſus civitatis Romanæ jure fruebatur, qvod jus Tarſenſibus præcipuè contulerat Julius Cæſar, ejúsqve in imperio ſucceſſor Octavius Auguſtus, eò qvod utriusqve partes in bellis civilibus ſtrenuè adjuviſſent: unde & Tharſus Juliopolis eſt dicta, ut teſtatur Dio Caſſius lib 47. Hoc jure ſe tuetur Paulus Act. 16. & 22. Ideoque vinctus ſolvitnr, & cap. 16. à Magiſtratu anxiè rogatur, ut diſcedat, ſiquidem inſcij qvod gauderet immunitate & privilegiis Romanorum, virgis illum cœdi juſſerant. In patria Schola, qvæ Strabone teſte Athenas ſuperavit, educatus, Philoſophiæ operam navavit: Veteres enim Poëtas legit, qvorum ſententias qvasdam citat. Act. 17. v. 28. 1. Cor. 15. v. 33. Tit. 1. v. 13. Græcam qvòque lingvam ab ineunte ætate didiciſſe teſtarur Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam. Didicit & artem σκηνοποιητικὴν texendi Tabernacula ſeu Aulæas. Act. 18. v. 3. Succeſſu ætatis inde profectus literas didicit Hieroſolymis, ad pedes Gamalielis. Act. 22. v. 3. Confer. 23. v. 6. & inſtitutus in Phariſaiſmo ibidem. Gal. 1. v. 14. Phil. 3. v. 5. qvam ſectam & pater & majores ipſius ſectati fuerant Act. 23. v. 6. & 26. v. 5. in Phariſaiſmo autem inde á juventute ſua inculpatè vixerat, qvoad juſtitiam externam, qvæ eſt in lege. Phil. 3. v. 6. vehementiſſimús traditionum à patribus acceptarum æmulator. Gal. 1. v. 14 unde falſo iſtô zelo occœcatus, eccleſiam Chriſti atrociter perſeqvebatur. Phil. 3. v. 6. Conf. Actor. 7. 8. 9. & alibi. Sed in ipſo furoris curſu cœleſti apparitione convertitur. Act: 9. v. 3. ſeqq. Converſionem ejus factam eſſe volunt, proximô anno à Chriſti paſſione, 25. Januarij, qui fuit Nativitatis Chriſti 34. juxta alios 35.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Tiberij Cæſaris. 19. Poſt converſionem non ſtatim rediit Hieroſolymam, ſed abiit in Arabiam, Gal. 1. v. 17. & Arabes primum ſub jugum Chriſti redegit, totô trienniô in ea expeditiône conſumptô, cùm anno N. C. 34. Phænix avis, poſt longum ſeculorum ambitum, ut Tacitus loqvitur, in vicinâ Ægypto viſa eſſet.

Vaſtisſimas Aſiæ & Europæ regiones percurſavit, & evangelij doctrinam propagavit, quam multis magnisque miraculis confirmavit, qvorum aliqva in actis Apoſtolorum recitantur, qvæ hic commemorare non eſt opus. Sed alia miracula referuntur ab aliis, qvorum qvædam hìc addere lubet: de ſcriptura ante frontem Pauli è Ioh. Vaſæi Chron. Hiſpan. agit Cornelius â Lapide ad Rom. 16. Sophronius, inqvit, Patriarcha Hieroſolymitanus ſcribit, Italias, Gallias, & Hiſpanias tranſitu B. Pauli illuſtratas: qvi cùm in domo Probi illuſtris cujusdam viri, hoſpitio ſuſceptus in Hiſpania fuiſſet, & Xantippe uxor ejusdem Probi, modeſtiam hoſpitis ſeduliusin eum intenta admiraretur; divinâ voluntate factum eſt, ut dum ſic intenta vultui peregrini inhæreret, appareret ante frontem Pauli qvaſi literis aureis ſcriptum: Paulus Apoſtolus prædicator Chriſti. Quæ cum prænunciâ famâ multa de Apoſtolo audiviſſet, & diû deſideraſſet vultum ejus videre, gaudio pariter reſoluta & ſtupore, cum lachrymis corruit ad ejus pedes. Edocta autem myſteria Chriſti, cum viro & familia Chriſto ingenerata eſt. Sic narrantur miracula Pauli Rhegienſia, ignescens lapidea columna, piſcium devotio, qvi Paulo prædicanti auſcultârunt, & imperatum cicadis ſilentium, qvæ è ſuis auctoribus memorat Cornelius à Lapide ad Act: 28. p. 387. Verùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

rùm hæc & alia ſuamet ſe vanitate produnt. Fuit apprimè doctus. Act. 26. v. 24. eloqventiſſimus ut colligitur ex c. 14. v. 12 & 26. v 24. 28. Petrus 2. Epiſt. 3. v. 15. tribuit ipſi σοφίαν divinam & plane ſingularem. 2. Cor. 12. v. 2. 4. dicitur, qvod raptus in tertium cœlum audierit verba ἄῤῥητα. abundantiùs laboravit omnibus Apoſtolis 1. Cor. 15. v. 10. zelo ardentiſſimo præditus fuit, atqve adeò de aſſerenda & promovenda Chriſti gloriâ, de Eccleſiarum & proximi ſalute ſupra modum ſolicitus. Act. 15. v. 36. &. 20. v. 20. 27. 31 2. Tim. 2. v. 10. Quem enim zelum prius adhibuerat perſeqvendo, hunc poſtea adhibuit tuendo & propagando evangelium & Eccleſiam Chriſti. Nihil inferior fuit ſummis Apoſtolis. 2. Cor. 11. v. 5. & 12. 11. ſi ejus eruditionem, vitæ integritatem, Spiritus S. dona, labores & perſecutiones propter Chriſtum perpeſſas, conſideramus. Ideòqve & Petro in os reſiſtit, Gal. 2. v. 1. 11. ſeqq. ipſe tamen ſe vocat minimum omnium ſanctorum. Ephes. 3 8. minimúmq; Apoſtolorum & abortivum, pronunciátqve indignum ſe eſſe, qvi Apoſtolus dicatur. 1. Cor. 15. v. 8. 9. nempe qvod Eccleſiam perſecutus eſſet, ibid. qvô etiam nomine ſe primum eſſe peccatorum declarat 1. Tim. 1. v. 15. Epheſi pugnavit adverſus beſtias. 1. Cor. 15. v. 3. & ubiqve multas paſſus eſt contradictiones, perſecutiones. Ter naufragium fecit, nocte ac die in profundo maris fuit. In magna pericula incidit, in itineribus, in fluminibus, in civitate, in ſolitudine, in mari. Afflictus fuit in labore & ærumnis, in vigiliis multis, in fame, in ſiti, in iejuniis multis, in frigore & nuditate. Non alienos animo à ſe expertus eſt, Lyſiam Tribunum, Felicem & Feſtum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ſtum Præſides, Aggrippam Regem, Julium Centurionem & præfectum exercituum, ut patet ex Act. c. 23. ſeqq. multa pertulit opprobria à Pſeudo-Apoſtolis, à Gentilibus & à Judæis, ut conſtat ex actis & ex Epiſtolis ipſius. Inſignis fuit Diſputator, qvi qvamvis, inqvit Danhawerus Hodom. Spirit. Calv. p. 489. ut vir θεόπνευςος potuiſſet oracula fundere αὐτόπιςα; tamen argumentando ex principiis conceſſis maluit convincere, qvàm definiendo cogere, exemplo ſui magiſtri qvi maluit ſuos hoſtes, ut loqvitur Origenes Hom. 23. in Matth. claritate veritatis mutos facere, qvàm attonitos reddere. Solennis illi eſt fictio adverſarij προσωποποιικὴ Judæi ſc: qvi gentis ſuæ patrocinium ſuſcipiat: item occupatio & præventio. ſolet enim, qvicqvid alius objicere poteſt per ἀνθυποφορὰν, qvam Qvintilianus vocat ſubjectionem, anteqvam objiciatur ediſſerere. Idem de illo testatur Hieronymus in Apologia contra Jovin. Videbitis, ſcribit, in testimoniis, qvæ ſumit de V. T. qvàm artifex, qvàm prudens, qvàm diſſimulator ſit ejus qvod agit. Videntur qvædam verba ſimplicia & qvaſi innocentis hominis & ruſticani, & qvi nec facere, nec declinare noverit inſidias: ſed qvocunqve reſpexeris, fulmina ſunt. Hæret in cauſa, capit omne qvod tetigerit, tergum vertit ut ſuperet, fugam ſimulat ut occidat. Iudæi fuerunt hoſtes ac adverſarij ejus acerrimi, ut ex locis citatis. & Rom. 15. v. 30. 31. 2. Cor. 11. v. 24, 26. 1. Theſſ 2. v. 15, 16. videre eſt, à qvibus comprehenſus traditus fuit in manus Romanorum, & Romam ſub Neronis imperio captivus perductus ut in ultimis Act. capp. narratur, ubi tandem martyrio coronatus fuit, ut colligitur

ligitur ex. 2. Tim. 4. v. 6. ſeqq. cùm jam ſenex eſſet, ut colligitur ex Philem. v. 9. Quando & qvô mortis genere obierit, exponit Hieronymus in catalogo. Decimô qvarto Neronis annô, eodem die, qvo Petrus, Romæ pro Chriſto capite truncatus & ſepultus eſt in viâ Oſtienſi, anno poſt paſſiônem Domini 37. qvi eſt annús à Chriſto nato ſeptuageſimus. Vid. Euſebium lib. 2. c. 25. Baron. mentionem facit effluxus lactis è collo D. Pauli decollati. Tertullianus lib. 5. contra Marcion. ſub initio ad Paulum accommodat vaticinium Jacobi Patriarchæ. Benjamin lupus rapax, ad matutinum comedit adhuc, & ad veſperam dabit eſcam. Chryſoſtomus octo homiliis Pauli laudes prolixè proſecutus eſt. Ubi confert eum cum omnibus V. T. & Novi, ſanctis. Euſebius lib. 3. hiſtor. c. 24. eum vocat omnibus Apoſtolis eruditiorem, qvi etiam in verbis & ſenſibus ſit præpotens, & in parvo Epiſtolarum corpore immenſa contineat, atqve innumera ſacramenta, ut-pote qvi etiam ad tertium cœlum uſqve raptús, qvæ gererentur, inſpexit, & doctrinam ſuam celeſtis ſcholæ diſcipulus in Paradiſo excepit. Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium adverſus errores Johan. Hieroſol. appellat eum vas electionis, tubam Evangelii, rugitum Leonis noſtri, tonitru gentium, flumen eloqventiæ Chriſtianæ. In Apolog. pro libr. contra jovin. Paulum qvotiescunqve lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua. Idem Tom. 4 f. 2. ad Paulinum vocat eum ſacrarum literarum armarium. Auguſtinus lib. 14. de civitate Dei. cap. 9. Paulum verum Athletam Chriſti: doctum ab illo, unctum dé illo, crucifixum cum illo, glorioſum in illo,

in theatro hujus mundi, cui ſpectaculum factus eſt, & Angelis & hominibns, legitimé magnô agone certantem, & palmam ſupernæ vocationis in anteriora ſectantem, oculis fidei libentiſſimè ſpectamus. Cyrillus Alexandrinús l. 1. in Joh. c. 9. vocat eum myſteriorum Salvatoris receptaculum.

III. CANONICA AUCTORITAS. Fuerunt Hæretici, qvi olim omnes Pauli Epiſtolas, vel omninò rejecerunt, vel certè corruperunt, qvales fuerunt Ebionitæ, Helcheſeitæ, (de qvibus Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 27.) Encratitæ, Manichæi, Aetiani, de qvibus Irenæus lib. 1. cap. 26. Euſeb. lib. 3. hiſt. Eccles. c. 27. Marcion in ea hæreſi fuit, ut duas ad Timotheum Epiſtolas, itémqve duas alias, nempe ad Titum unam & ad Hebræos alteram tanqvam Apoſtolo indignas rejecerit. Sed Canonicam & verè divinam Epiſtolarum Paulinarum auctoritatem (qvæ dependet à Spiritu S. tanqvam auctore principali, qvia enim hæ epiſtolæ ſunt θεόπνευςοι ideo qvoqve canonicæ) confirmat: Primó. diſerta auctoris denominatio, qvod ſint ſcriptæ à Paulo electo illo Spiritus S. organo. Vide num. II. in Epiſt. ad Roman. Secundò genus doctrinæ, qvod eſt verè divinum, ſapientiam enim Dei locutus eſt in myſterio Principibus ſeculi abſconditam. 1. Cor. 2. v. 6. 7. 8. Tertió cum reliqvis tam V, qvàm N. T. libris indubitatò Canonicis exactisſima conformitas: qvæ eſt tum in rebus ipſis, tum in methodo interpretandi, qvatenus divinâ qvadam cabalâ typos & oracula Prophetica V. Teſtamenti ad myſteria Novi Teſtamenti reducit, ac myſtico & θεοπνέυςῳ ſenſu afficit, illuſtre exemplum extat Gal. 4. v. 29. 30. Quarto, ſtyli maje-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ſtas & ſingularis proprietas. Stylus I enim verba rẽbus admetitur, nullâ laborat λογοδιαῤῥοίᾳ nulla vox ſine efficacia & emphaſi. Ita enim Spiritus S. dedit Apoſtolis ἀποφθέγγεσθαι Act. 2. v.4. cap. 26. v.4. II. eſt ſimplex non ſimplicitate ruſticâ, inficetâ, grammaticâ, omni ſermonis figuratione deſtitutâ, ſolœcâ ; ſed ſimplicitate caſtâ, virgineâ, inter luxum & ruſticitatem qvaſi media. Derogat qvidem ſermoni ſuo eloquentiam Paulus. 1.Cor.2.v.1. & c.1.v.17. ſed humanam non verò divinam, qvam ex munere Spiritus S. habuit & adhibuit. Caruit ambitioſâ illâ fucatâ & oſtentatrice loqvacitate inſtar meretricis ſe ſuperfluè ornante, & jactante: verùm non caruit iſta gravi & ſeriâ dicendi facultate, qvâ res cœleſtes perſpicuè & commodè explicare potuit, qvæqve proprie Apoſtolum Chriſti decuit, ut rectè de ſtylo Pauli monet Glaſſius Philolog. ſac. lib.1. p. 344. III. Humanus ac inter homines gentiles, etiam ſuos Cilicas, ut opinatur Hieronymus Epiſt. 151 ad Algas. q. 10. uſitatus. Humano more ſe loqvi Apoſtolus aliquoties indicat, & humano more loquitur non tantùm cũ loqvitur μιμητικῶς ex hominũ indignè loqventiũ ore Rô.3.v.5. aut per προεπίπληξιν, cùm invidiæ prævenit. 1.Cor.15.v.32. 2.Cor.11.v.16. aut συγκαταβατικῶς, qvando ad noſtrum intellectũ ſimilitudinib9 qvibusdam humanis condeſcendit. Rom. 6.v.19. 1.Cor.9.v.8. Gal.3.v 15 ſed & in tota phraſi, qvam eô ſenſu uſurpat, qvô non helleniſtæ ſolùm, ſed & profani auctores. IV. Attemperatus rebus, perſonis, loco, tempori, adéoqve exigente rerum circumſtántia utitur Apoſtolus nunc gravi ac valido. 2. Cor. 10. v.10 nunc blando & qvaſi materno ſermone. 1.Cor.4.v.14.
2.Cor

2.Cor.2.v.4.Gal.4.v.19. Deniqve V. Subobſcurus, id enim notavit Collega D. Petrus 2.Pet.3.v.16. Vid. Danhaw.hodom. Spirit. Calvin. p.488. ſeqq. Glaſſ. Philolog. Sacr. locô citatô,& ſeqq. Irenæus lib.3.c.7. ait, Apoſtolum freqventer uti hyperbolis propter velocitatem ſermonum ſuorum, & impetum, qvi in ipſo eſt Spiritus. Quintò. Eccleſiæ teſtimonia inter qvæ principale eſt Petrinum 2. Epiſt.3.v.15. ab immediatâ Spiritus S. inſpiratione profectum. Secundarium eſt Doctorum Eccleſiæ primitivæ Apoſtolorum temporibus vicinæ ſuffragium. Quotqvot enim primitivæ Eccleſiæ Doctores, Canonicos N.T. libros recenſuerunt, illi omnes unanimi ſuffragiô tredecim Epiſtolas Paulinas in Canonem receptas eſſe docuerunt. De Epiſtola ad Hebræos olim dubitatum fuit, an ſit à Paulo ſcripta,de qva ſuô locô. Sextò, interius Spiritus S. teſtimonium, qvi qvando in vero Dei timore & piò ſtudio Paulinas Epiſtolas legimus, aut meditamur, efficaciter in nobis per illas vel accendit, vel fovet,aut ſuſtinet fidei πληροφορίαν,conſolatur,exhortatur, animat atqve excitat,ut in corde noſtro convincamur illas eſſe θεοπνεύστους ab immediatâ Spiritus S. inſpiratione profectas: verbi enim divini vis & efficacia penetrantior eſt omni gladio ancipite pertingens uſqve ad diviſionem animæ & Spiritus. Heb.4.v.12.

IV. FINEM SCRIPTIONIS indicat Paulus Rom.15.v.4. 2.Tim.3.v.16. Cum hoc minimè pugnat Petrus, qvi ὑπόμνησιν finem Apoſtolicæ ſcriptionis conſtituit 2. Epiſt.1. v.12.13. Ratione enim diverſorum objectorum duplicem ſcriptionis finem Apoſtoli ſibi habuere propoſitum, tum ut ignaros myſte-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ſteriorum fidei perfectè informarent, & inſtruerent, ac ſanctæ vitæ regulam ipſis præſcriberent. tum ut eos, qvibus jam dum fidei myſteria & via ſalutis ex prædicatione cognita, commonefacerent. Vid. Gerh. in prolegom. gener. p. 5. Aliàs tredecim reddi poſſunt cauſæ cur Epiſtolas ſuas Paulus ſcripſerit. (1) ut Auditoribus ſuis etiam abſens revocaret in memoriam, eadem, qvæ oretenus docuerat. (2) ut complecteretur illa omnia brevi epitome & compendio, qvò faciliùs animis inhærerent. (3). Ut ea, qvæ inter docendum non ſemper incidiſſent, nunc inſuper adiiceret. (4). Ut ea, qvæ ἐν πλάτει tradiderat limatius & exqviſitius calamo redderet. (5) Ut abſtruſiora myſteria plenius declararet. (6). ut ſuam doctrinam interſperſis ænigmatum floſculis ſic temperaret, ut evitaret contemptum, hoc eſt, ut faſtidia detergeret nauſeabundis & ſaturis. (7). Ut naſcentibus & adhuc tenellis eccleſiis hiſce ſuis ſcriptis adderet munimentum, ſuſtentaculum, perfectionem. (8) Ut abſens etiam calamo reſecaret peccata propullulantia. (9). Ut etiam præveniret vitiis in futurum. (10). Ut excluderet futuras diſputationes & rixas gliſcentes. (11). Ut ſi prorumperent controverſiæ, haberent in ſcripto vocem judicis, & diciſionem in promptu. (12). Ut in hac ipſa ſcribendi opera imitaretur exemplum Prophetarum. (13). Ut hoſce ſuos libellos ad inſtar regularum vitæ tranſmitteret, etiam hucúſqve ad noſtram, & omnis poſteritatis, ſi qva futura eſt memoriam. Enumeratas cauſas ex Nicephoro lib. 2. c. 34. & Hieronymo deducit Cramerus in Iſagog. ad libros Prophet: & Apoſtol. p. 261. ſeqq.

V. DE TEMPORE ET ORDINE ſcriptionis hæc notamus ex Chemnitio in Exam. p.25.Gerh. in Epiſt. ad Rom.p 7.& aliis. Paulus nonnullas Epiſtolas ſcripſit ante captivitatem ; nonnullas in captivitate. Ante captivitatem ſcripſit numerô ſeptem hoc ordine 1. Priorem ad Theſſalonicenſes. 2. Poſteriorem ad Theſſalonicenſes. Anno Chriſti 50. converſionis ſuæ 17. 3 Priorem ad Timotheum. Anno Chriſti 52, converſionis ſuæ.19.4. Priorem ad Corinthios. Anno Chriſti 53. converſionis 20. (2.Cor.12.v.2) 5. Ad Titum. Anno Chriſti 55. converſionis 22. 6. Poſteriorem ad Corinthios. 7. Ad Romanos. Anno Chriſti 58. Baron. In captivitate verò agens Romæ exaravit reliqvas, Anno Chriſti 59. per biennium ab eo tempore in carcere detentus fuit, qvô verô ordine eas ſcripſit, non úsqve adeò conſtat. Verùm epiſtolas ex vinculis miſſas auguſtiorem continere doctrinam, aſſerit Chryſoſt:hom 1 in epiſt.ad Coloſſ. Paulum comparans duci gloriâ bellicæ rei præcellenti, qvi inter medias hoſtium ſtrages & trophæa conſiſtat, illinatqve epiſtolis, qvæ vult mandata. Ex Chronotaxi Baroniana epiſtola prior ad Theſſalonicenſes ſcripta eſt, anno Chriſti nati 52. paſſi.19. Cæſaris Claudii 10. Pauli nati 51. Pauli converſi 17. Poſterior ad Theſſalonicenſes Anno Chriſti nati 53. paſſi 20. Cæſaris Claudii 11 Pauli nati 52. Pauli converſi 18. Prior ad Corinthios, prior ad Timotheum Anno Chriſti nati, 57. paſſi, 24. Cæſaris Neronis 1. Pauli nati 56. Pauli converſi. 22. Poſterior ad Corinthios, ad Romanos, ad Titum. Anno Chriſti nati 58. paſſi 25. Neronis, 2. Pauli nati 57. Pauli converſi 23. Epiſtola ad Epheſios, poſterior

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ad Timothæum, Anno Chriſti nati 59. paſſi 26. Neronis. 3 Pauli nati 58 converſi 24. Epiſtola ad Coloſſ. Philippenſes, Philemon. ad Hebræos Anno Chriſti nati 60. paſſi 27. Neronis 4. *P*auli nati 59. *P*auli converſi 25. Calviſius ſtatuit Anno poſt Chriſtum natum 50. *P*aulum Athenis utrámq; ad Theſſalonicenſes epiſtolam ſcripſiſſé. Anno poſt Chriſtum 52. Aqvilâ & Priſcillâ Epheſi relictis in Syriam properâſſe, & Hieroſolymam veniſſe, inde in Galatiam & *P*hrygiam reverſum, & in hac profectione Laodicæam veniſſe, ibiqve primam ad Timotheum epiſtolam ſcripſiſſe. Anno poſt Chriſtum 55. initiô veris ſcriptam eſſe epiſtolam priorem ad Corinthios Epheſi: circa Pentecoſten autem Epheſo diſceſſiſſe Paulum, & Philippos profectum eſſe, ibiqve eodem anno poſteriorem ad Corinthios ſcripſiſſe: inde profectum eſſe Nicopolin Macedoniæ urbem, indéqve miſiſſe epiſtolam ad Titum. Epiſtolam autem ad Romanos Corinthô miſſam Anno poſt Chriſtum 56. exaratam eſſe. Reliqvas verò. ad Galatas, ad Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Philemonem Romæ ſcriptas eſſe Anno poſt Chriſtum 61.

Hainlinus in Elencho chronol. ſcripturæ ſacræ hunc epiſtolarum Paulinarum ordinem tradit. Anno Epoch. Chriſti 48. duas epiſtolas ad Theſſalonicenſes Athenis ſcriptas vult, prioremq; ad Corinthios Epheſi, Anno Ep. Chriſti 51. Philippis alteram ad Corinthios, & ex Corintho illam ad Romanos. Anno Epoc. Chriſti 58. ex vinculis epiſtolas ad Galatas, ad Epheſios. 2. ad Timotheum, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Philemon. Tandem ex ore Leonis liberatum

ratum, 2. ad Tim. 4. ad eccleſias orientales rediiſſe Paulum. Phil. 1. & Nicopoli epiſtolam ad Titum ſcripſiſſe. Theodoretus Tom. 3. in præf. comm. in Paulum hunc ponit ordinem. 1. Priorem ad Theſſalonicenſes. 2. Poſteriorem ad eosdem. 3. Priorem ad Corinthios. 4. Poſteriorem ad eosdem. 5. Priorem ad Timotheum. 6. Ad Titum. 7. Ad Romanos. 8. ad Galatas. 9. Ad Philippenſes. 10. ad Epheſios. 11. ad Coloſſenſes. 12. ad Philemonem. (qvamvis hancante has ad Epheſios & Coloſſenſes ſcriptam videri poſſe ajat) 13. ad Hebræos. 14. Poſteriorem ad Timotheum. Nonulli tamen hunc malunt. 1. ad Philippenſes. 2. ad Coloſſenſes. 3. ad Philemonem. 4. ad Epheſios. 5. ad Galatas. 6. Poſteriorem ad Timotheum. Alij verò hunc ſeqvuntur ordinem 1. ad Galatas. 2. ad Epheſios. 3. ad Philippenſes. 4. ad Coloſſenſes. 5. ad Philemonem. &c. 6. poſteriorem ad Timotheum.

VI. NUMERUS. Paulum tredecim epiſtolas ſcripſiſſe omnes conſentiunt, ex qvibus qvatuor datæ ſunt ad certas perſonas, dúæ videlicet ad Timotheum, una ad Titum una ad Philemonem: reliqvæ ad integras eccleſias ſunt ſcriptæ. De epiſtola ad Hebræos, an Pauli ſit, olim fuit dubitatum. Cur Paulus plures epiſtolas ſcribere debuerit qvàm alij Apoſtoli, ejus rei cauſam reddit Cyrillus Hieroſolymitanus. Catech. 10. p. 215. ne dubia videretur illius doctrina, qvi antea inimicus & perſecutor fuerat. Quidam putant nos non habere omnes epiſtolas Paulinas. At his reſpondetur, ſi vel maximè perierunt epiſtolæ qvædam à Paulo ſcriptæ, illæ tamen non fuerunt in numerum Canonicorum librorum relatæ, aliud enim eſt interci-

 dere

dere librum Apoſtoli; & aliud intercidiſſe librum Canonicum, qvem Deus ideo conſcribi voluit, ut permaneret in uſum eccleſiæ. Si omnes Pauli epiſtolæ adesſent, ſanctæ & in canone eſſent, qvas verò Deus perdurare noluit, illæ in canone nunquam fuerunt: defectum ergo paſſa eſt non fides ſalvifica, ſed ſolùm hiſtorica.

Circumferuntur hodie qvædam Epiſtolæ, qvæ Paulo tribuuntur, at Pauli non ſunt, ut epiſtola S. Pauli ad Senecam, & hujus ad illum, de qua Hieronymus in catal. Senecam non ponerem in catalogo ſanctorum, niſi me illæ epiſtolæ provocarent, qvæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam & Senecæ ad Paulum. In qvibus cùm eſſet Neronis Magiſter, & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit ejus eſſe loci apud ſuos, cujus ſit Pauli apud Chriſtianos. Vide Sixtum Senens. l. 2. verbo Paulus. A Salmerone laudatur hæc epiſtola Pauli ad Senecam in comment. ad Phil: cap 4. v. 22. & diſput: 3. in epiſt. Pauli. at rejicitur ab Eraſmo in ſcholiis ad Hieron. de ſcript. Eccles. Ludov. Viv. ad lib. 6. de civitate Dei. c. 10. Baronio ad annum 66. 11. Poſſev. in apparet verbo Seneca. Lorino ad act. 18. p. 754. Cornel. à Lapide ad Act: 18. p. 301. Adam Contzen in Epiſt. ad Romanos. c. 13. p. 17. Rivet in Critico S. lib. 1. p. 5. Vide Chriſteid. Danhaw p. 893. Sic opinio de qvadam ad Laodicenſes epiſtola nata eſt ex loco ad Coloſſ. 4 v. 16. qvam periiſſe multi exiſtimant, nam qvæ hodie legitur, cujus exemplar edidit Sixtus Senenſis lib. 2. Biblioth. S. non eſt Pauli, & fallitur Salmeron. Tom. 13. tract. 2. & 3. qvi cenſet epiſtolam genuinam hodie ſupereſſe. Bellarminus lib. 4. de

verbo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

verbo Dei cap. 4. traditionum neceſſitatem & ſcripturæ imperfectionem probans, ait: Ex novo Teſtamento certum eſt periiſſe epiſtolam Pauli ad Laodicenſes, cujus ipſe meminit Coloſſ. ult. & forte etiam aliam ad Cor. cujus mentio videtur fieri in 1. Cor. 5. v. 9. Sed in Græco textu non dicitur πρὸς λαοδικεῖας, ſed τὴν ἐκ λαοδικέιας, & ſic denotatur epiſtola, qvæ ex Laodicæâ ad Paulum, non autem ad Laodicenſes à Paulo eſt ſcripta, vel ſignificatur potiùs epiſtola, qvâ reſponſuri eſſent Laodicenſes Coloſſenſibus. Vide Baldvinum, Friedliebium, Bezam, Interpretes Belgicos ad hunc locum. Vetus tamen hic error eſt, & epiſtola illa jam dudum fuit ementita, uti ex Epiphanio, qvi hanc adverſus Marcionitas citat, conſtat. Hieronymus in catalogo ſcriptorum, ait, qvosdam legere epiſtolam ad Laodicenſes ſcriptam, ſed ab omnibus explodi. Qui putant ſignificari epiſtolam ad Timotheum priorem, qvæ ex Laodicæa ſcripta eſt, illis videtur contrariari locus Coloſſ. 2. v. 1. plura vide in priori ad Timoth. num. V.

VII. SUMMA. Tractantur in illis legalia & evangelica fidei myſteria & vitæ ſanctæ præcepta.

VIII. USUS. Ratione doctrinæ in illis contentæ & uſus ſalutaris etiam ad nos ſcriptæ ſunt, teſte ipſomet Paulo 1. Cor. 1. v. 2. Auguſt. lib. 1. contra. Creſcon. Gramm. c. 9. Memento Apoſtolicas, non iis tantùm ſcriptas, qvi tempore illo, qvo ſcribebantur, audiebant, ſed etiam nobis. Non enim ob aliud in eccleſia recitantur. Sunt ergò epiſtolæ Paulinæ nobis utiles, ut falſa dogmata amoliamur, veris & germanis nos muniamus, & benè beatéqve vivamus.

 Seu

Seu uſus qvintuplex eſt. 1. Διδασκαλία. 2. Ἔλεγχος. 3. Ἐπανόρθωσις. 4. Παιδεία. 2. Tim. 3. v. 16. 5. Παράκλησις. Rom. 15. v. 4. 1. Cor. 14. v. 3. Pontificii, qvi ſcripturæ amplitudinem libenter conſtringere vellent, nobis objiciunt: Quid ad nos iſtæ epiſtolæ, qvæ ſcriptæ ſunt ad certas & particulares Græciæ eccleſias? verùm perverſè admodum. Nam ſicut Vetus Teſtamentum ſcriptum eſt, non tantùm in uſum Eccleſiæ Iſraëliticæ, ſed etiam Chriſtianæ: ita N. T. ſcriptura, non tantùm in uſum iſtarum particularium Eccleſiarum ſcripta fuit, ſed conſeqventer in uſum omnium ætatum & temporum, licet qvædam περιστάσεις ad certas eccleſias ſic alligatæ ſint, ut hodie exoleverint, & amplius in uſu non ſint. vide. 1. Cor. 14. & alibi. Sic 1. Cor. 10. v. 11 teſtatur Paulus, ſcriptas eſſe V. T. hiſtorias propter admonitionem Eccleſiarum ſuorum temporum. Sic Gen. 16. v. 15. Novum Teſtamentum allegoricè depictum fuit in hiſtoria Iſmaelis & Iſaaci in uſum Eccleſiarum Apoſtolicarum ut teſtatur Paulus. Gal. 4. v. 24. Blaſphemum eſt dicere: Prophetæ ſuo populo: Chriſtus ſuis auditoribus tantùm concionatus eſt, non nobis. Verbum enim Dei non eſt ipſis foliis caducis levius, ſed æternum & ita ſcriptum ut non tantùm uni Eccleſiæ, multo minus uni duntaxat perſonæ ſed & reliqvis cœtibus & perſonis omni tempore competat, & communicetur, qvod loca citata ſatis evincunt, & idem evidenti exemplo patet in epiſtola ad Coloſſ. 4. v. 16. Marc. 13. dicit Chriſtus, ὁ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσιν λέγω. Idem evincunt omnia N. T. vaticinia, qvæ de noſtris extremi temporis Eccleſiis prædicta ſunt. Matth. 24. Marc. 13. de ſignis præcedentibus noviſſimum

ſimum diem. 1.Theſſ.4. 17. de noviſſimo die. 2.Theſſ. 2. de Antichriſto, ut & 1.Tim.4. 1.Joh.2. 2.Tim.2. 2. Petr.2. de Epicureis & Pſeudoprophetis. In Apocalypſi de perſecutionibus Eccleſiæ, & permutatione imperiorum & regnorum, qvæ expreſſo Dei mandato ſcripta, complementum ſuum his demum extremis ſortiuntur temporibus. Falſum proinde eſt illud Pontificiorum κρησφύγετον. Deniqve adde: Quousqve ſe extẽdit Apoſtolatus, eousqve ſe qvoqve extendunt functiones apoſtolatûs: ſed Apoſtolorum Apoſtolatus extendit ſe ad omnes creaturas, tam præſentes qvàm futuras. Ergo & eorundem functiones: qvarum poſtrema cùm non ſit propagatio Evangelij per literas, qvis neget epiſtolarum ab Apoſtolis conſcriptarum uſum eſſe catholicum & ad nos quoqve pertinere?

EPISTOLA PAULI
AD ROMANOS.

I.

NOMEN habet ab illis, qvibus inſcripta eſt, nempe Romanis, qvotqvot in illa urbe nomen Chriſto dederant. Fuit autem Roma olim urbs Italiæ Nobiliſſima, & bellicoſiſſima populorum domitrix, imperii ſedes, & totius propemodum orbis domina, de qua præſtat tacere, qvâm pauca dicere. In hac urbe Deus ſibi collegerat eccleſiam, cujus primi fundatores fuerunt Judæi & Proſelyti. Act.2. v.10. vide Chriſteid. Danhaw. p.138. Pontificii volunt Apoſtolum Petrum primum hujus Eccleſiæ Pontificem fuiſſe, ſed contrarium ex ſacris lite-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

literis multis argumentis probatur. De hujus Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis tantùm brevi dicam: illos tandem adeò ſuperbiiſſe, ut Oecumenici, id eſt univerſalis eccleſiæ per totum terrarum orbem ſparſæ Præſules nominari voluerint, qvem titulum antea in Conſtan-tinopolitano Patriarcha reprehendens Gregorius Ro-manus Episcopus exclamat: ò tempora! ò mores! ar-det undiqve bellis orbis terrarum, trucidantur ab Ido-lorum cultoribus Chriſtiani, delentur à Barbaris ur-bes & templa: & tamen Sacerdotes, velut inſultantes publicis calamitatibus vanitatis nomina uſurpant, & titulis profanis ſeſe oſtentant. Verùm Bonifacius III. Gregorii Succeſſor juſſu Phocæ Imperatoris Synodum convocavit Epiſcoporum 72. ubi promulgatum de-cretum, non Patriarcham Conſtantinopolitanum, qvi titulum hunc jam multis annis obtinere conatus fuerat, ſed Romanum Pontificem dicendum Oecu-menicum. Atqve inde initium ſumpſit tyrannis Hie-rarchiæ Romanæ, Anti-Chriſti auctoritas cœpit ſta-biliri, & cœleſtis doctrinæ puritas in Eccleſia evanuit.

II. AUCTOR ſeu cauſa efficiens Miniſterialis fu-it Paulus Apoſtolus, ut ex ipſo limine epiſtolæ appa-ret. Incipit enim epiſtola hæc: Παῦλος δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ κλητὸς ἀπόστολος: &c: At Bellarminus lib. 4. de Verbo D. c. 4. Unde, inqvit, conſtat, epiſtolam ad Romanos eſſe verè Pauli, epiſtolam ad Laodicenſes, qvæ nunc cir-cumfertur, non eſſe Pauli? cum utraqve præferat titu-lum Pauli, & cùm Paulus in Epiſt ad Col. cap. ult. di-cat ſe ſcripſiſſe ad Laodicenſes, nunqvam autem di-cat ſe ſcripſiſſe ad Romanos? Oportet etiam non ſo-lùm ſcire, qvi ſint libri ſacri, ſed etiam in particu-

ticulari iſtos , qvi ſunt in manibus eſſe illos. Unde ſcis, inqvit Gretſerus tract. de agnoſc. ſcript. p. 1876. nomen non ab aliqvo impoſtore additum ? Interfuiſti, qvando nomen adſcripſit? aut ſi non vidiſti, &c: unde ſcias ? Nam ridiculus es, ſi dicas te id ex ſola inſcriptione ſcire , an nullus unqvam liber falſâ inſcriptione prænotatus eſt ? Reſpond. 1. verbis Bened. Juſtiniani. pag. 409. qui epiſtolæ Petrinæ poſterioris τὸ γνήσιον aſſerens ex inſcriptione ſic colligit; neceſſe eſt auctorem eſſe vel Petrum Apoſtolum, vel nefarium & ſceleſtum Sycophantam & impoſtorem. Quis autem adeò effrons atq; impudens fuerit, qvi ſibi Apoſtoli atq; Apoſtolorum principis nomen arrogarit ; & mox, nebulonem aliqvem auctorem eſſe nemo niſi temerè ſuſpicari poteſt de eo, præſertim qvi tam ſalutaria præcepta tradat. 2. Ex ſtyli genio, auctoris ſui certô indice, judicio Criticorum conſentiente id probamus. Vid. Senec. epiſt. 40. Auguſt. Tom. 2. epiſt. 48. Eraſmus in præfatione in Tom. 5. Hieron. p. 8. Certiſſimus Judex, & Lydius, ut ajunt, lapis , eſt Character orationis & habitus. Ut ſua cuiqve vox , ut ſuus cuiqve mos & genius, ita ſuus cuiqve ſtylus , nec perinde relucet in ſpeculo corporis imago, qvam in oratione mentis habitus apparet. 3. Ἰδιοχειρία. 1. Cor. 16. v. 21. Gal. 6. v. 11. Col. ult. v. 18. ad Philem. v. 19. agnita ab iis, qvi autographum habuerunt , è qvo noſtra apographa emendatè tranſcripta ſunt. 4. Sigillô conſvetô , qvod ipſe Apoſtolus ſuorum ſcriptorum characterem eſſe voluit 2. Theſſ. 3. v. 17. Apprecatione ſc. gratiæ. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen. Rom. 1. v. 7. c. 16. v. 24. Conjicit Paræus ad cap 16.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Rom. cùm reliquas epiſtolas per Tertium Amanuenſem ſcripſerit, hoc votum ab Apoſtolo manu propriâ ſubſcriptum, unde auctor certus dignoſceretur. Perfricat hic frontẽ cum ſuo Mulhus. Gretſer. p. 1830. loc. cit. cum negare audet Apoſtolum in omnibus ſuis epiſtolis hâc uſum eſſe ſubſcriptione, cum nulla allegari poſſit, apprecatione gratiæ deſtituta. At ſi qvis ulterius inſtaret, epiſtolam, qvæ hodie exſtat non eſſe illam primam veram & legitimam, ſed hanc intercidiſſe, & poſtea aliam ſpuriam in locum ejus ſubſtitutam eſſe. R. Tunc affirmanti incumberet probatio: Staret à me divina Pronæa, qvæ librum canonicum intercidere non permittit. Vid. Danhaw. Hodos. p. 27. 28. Hodomor. Spiritus Calv. p. 484. ſeqq:

III. AUCTORITAS ut in antecedentibus. Blasphema vox fuit, ſi verum qvod de qvodam Arminiano Miniſtro memorat Jacob. Laurent. in Paulo δυσνοητ. p. 254. ſe paratum eſſe probare nonum caput Epiſtolæ ad Romanos ab initio usqve ad finẽ non eſſe verbũ Dei. Itemqve de alio. potuiſſe Paulum aliud qvid egiſſe, qvam tam multa de prædeſtinatione ſcribere. Salmeron Tom. 1. proleg. 35. ſtatuit hanc unam Pauli epiſtolam Latinè eſſe ſcriptam. 1. Quia ſcripſit eam Latinis. 2. Quia ejus Amanuenſis fuit Tertius, c. 16. v. 22. (pro qvo aliqvi perperam legunt Terentius. videatur Sixtus Senenſis Bibl. S. in Tertio) qvod nomen Latinum eſt. Contra 1. omnes veteres Græcè eam ſcriptam ſtatuunt. Chryſoſtomus & reliqvi Patres Græci textum Græcum velut authenticum ſeqvuntur. 2. Abundat hæc epiſtola Græcismis. 3. in hac epiſtola Judæo non opponit Ramanum, ſed Græ-

cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

cum c.1. v.14. 16. 4. Romanis Græca lingva tunc erat familiaris. 5. Latina verſio ex Græco ad verbum qvandoqve expreſſa videtur. 6. Idem ſtatuunt Bellarminus lib.2. de verbo Dei. cap.7. Cornelius à Lapide in arg. Epiſtolæ. Ad argúmenta contraria reſpond. 1. Græcam lingvam etiam Romæ noverant, unde non ſcripſit Romanis lingva ignotâ, licet Græcè ſcriberet. 2. Non ſeqvitur: potuit Latinum natione Amanuenſem habere, ſed qvi Græca noſſet. Interim certum eſt, ut Latini Græca nomina iſto ſeculo aſſumebant, ita & Græcos Latina nomina recepiſſe, qvod gentibus diverſis, ſed invicem permixtis uſu venire ſolet.

IV. OCCASIO. Erant Romæ ad Chriſtum converſi Judæi ac gentiles. Judæi ſe præferebant 1. ob Νομοθεσίαν. 2. ob περιτομήν, 3. ob ἁγνείαν. Gentiles vocabant peccatores κατ᾽ ἐξοχήν. Gal.2. v.15. qvô factum ut Ethnici præ Judæis fœterent. Gentiles ſe præferebant 1. Ob φιλοσοφίαν, 2. ob divinam ἐκλογὴν, qvâ Judæis repudiatis in populum Dei aſciti. 3. Ob imperii ὑπεροχήν. Utrisqve hâc epiſtolâ Apoſtolus conſulere voluit, & 1. monſtrare, Judæos ac gentes æqve eſſe peccato obnoxios, & reatui æternæ damnationis, ac propterea egere gloriâ coram Deo, & juſtificationem noſtram eſſe gratuitam. Danhaw. in Hodomor. Spirit. Calvin. p.487. Occaſio ex qva inqvit, fuit abuſus ſententiæ Synodicæ de juſtificatione ex gratia Dei ſine operibus. cùm enim ſtatuiſſent, qvi è Judæa Antiochiam migrârant, niſi circumcidamini ſecundum morem Móſis, conſeqventur interprete Apoſtòlo, Gal. 5. v.3. ex circumciſionis debito univerſam legem ſervetis,

non poteſtis eſſe ſalvi; Synodúsqve Hieroſolymitana decreviſſet, per gratiam Domini Ieſu Chriſti, jugo non ſolùm importabili, (qvod qvi ſubeat, tentet Deum) ſed ad purificationem non neceſſario (eæ ſunt rationes D. Petri amplius tractatæ à D. Brentio ad cap. 15. Act. p. 332) oppoſitam, conſeqventur ſolam, credimus nos ſalvos futuros qvemadmodum Patres noſtri. v. 11. Hujus decreti uberiorem expoſitionem & adornavit, & vindicavit Apoſtolus, in ea, qvæ nunc ad manus eſt, epiſtola, ad Romanos. Hactenus Danhaw. 2. Quia nondum prædicaverat evangelium Romanis vivâ voce, ut pote qvos nondum viderat, de illorum tamen fide multa audiverat, illósqve videre deſiderabat. Rom. 1. v. 11. ideo in hoc ſcripto voluit eis τύπον διδαχῆς tradere Rom. 6. v. 17. 3. Novit ex urbe Roma utpote imperii ſede hanc epiſtolam ad alias eccleſias facilè perventuram idèoqve ob imminens vitæ diſcrimen, de qvo ipſe agit. Act. 20. v. 22. 23. & 25. qvaſi confeſſionem fidei & doctrinæ in hac epiſtola poſt ſé relinqvere voluit. 4. Ad Romanos Apoſtolus ſcripſit, ut hos inſtruendo unâ operâ totum orbem (cujus illi Domini, qvos hic facilius in religione imitaturus erat) informaret. 5. Romanis qvoq; hôc ipſô officio donum ſpirituale impertiri cum animo ſtatutum habuit, ἐις τὸ ϛηριχθῆναι ad ſtabiliendum illos cap. 1. v. 11. Eſt autem ϛηρίζειν fulcire firmiter, & ϛήριγμα ſignificat fulcimentum tale, qvod parti ægræ, ne prolabatur adhibetur. Erant Chriſtiani Romæ recens converſi, tenerrimi adhuc, & Judæi lucrefacti infirmi in fide, ut patet ex Rom. 14. & cum Evangelio fermentum. qvoqve Pſeudoapoſtolicum Romam imigrâſſe,

in-

inqve miscuiſſe lacti venenum colligere eſt ex Rom. 16. v. 17. 18. His addit 6. inſuper aliam cauſam c. 15. v. 5. nimirum ſe commonefacere Romanos propter gratiam qvæ ipſi data eſt à Deo. Inepta eſt Bellarmini argumentatio lib. 4. de verbo Dei c. 12. Scripturam non eſſe regulam fidei: ſed ſaltem commonitorium qvoddam utile ad conſervandam & fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam. Concedimus enim & nos, ſcripturam eſſe etiam commonitorium noſtrum, id enim ipſe Apoſtolus hôc loco fatetur, confer 2 Pet. 1. v. 12. Sed hic fines ſcripturæ neqve eſt ſolus neqve primarius: inſufficienter igitur concluditur, Scriptura commonefacit nos. Ergo non eſt norma doctrinæ: ſiqvidem fines ſubordinati ſe mutuò non excludunt: multò minus ſecundarius principalem tollit. Vide etiam, qvæ diximus de Epiſtolis Pauli in genere. num. IV. in principio. Cavillum eſt Pontificium, Paulum fruſtulatim ſaltem tractare fidem, qvia dicit ſe ἀπὸ μέρους ſcripſiſſe, nam ἀπὸ μέρους in Græco non refertur ad ἔγραψε, ſed τολμηρότερον, ut ex textu patet. ſimilis loqvendi forma legitur. 2. Cor. 2. v. 5. vel ſi contentioſè referas ad verbum, exponitur per illud 1. Cor. 13. v. 9. & 2. Cor. 1. v. 14. Sed demus ἀπὸ μέρους ſignificare qvædam capita doctrinæ in epiſtola ad Romanos non comprehenſa eſſe, non enim agit de inſtitutione Baptiſmi & cœnæ Dominicæ, de Anti-Chriſto, excommunicatione, extremo judicio &c. nos tamen, qvæ illa ſint, ex aliis ſcripturæ locis monſtrare & probare poſſumus. Vide latius Chemnit. in Exam. Concil. Tridentini p. 30. Bellarminus lib. 4. de V. D. cap. 4. Apoſtoli ſcripſerunt ex occaſione, ergo non ex mandato,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

dato R. Occaſio ad prædicationem ipſis interdũ data. Act:17.v.16. non tollit prædicandi mandatum, ideoqve nec occaſiones ſcribendi exterius Apoſtolis oblatæ, tollunt internum ſcribendi mandatum. Per divinæ potius providentiæ mirabilem diſpoſitionem factum, ut ad occaſiones exterius oblatas impulſus divinus interior acceſſerit, qvô permoti manum ſcriptioni adhibuerunt: Prophetæ qvoqve ſcripſerunt oblatâ occaſione, nec tamem defuit ipſis mandatum ſcriptionis. Deut.31.v.19. Eſa.8.v.1. Quæ igitur disjunctio non valet de Prophetis, illa nec valebit de Apoſtolis.

V. TEMPUS. Quod hæc epiſtola ſcripta ſit poſt utramqve ad Corinthios colligitur hôc modô. Scripſit Paulus hanc epiſtolam ad Romanos poſtqvam Priſcilla & Aqvila fuiſſent adjutores Pauli in fide Chriſti, qvi & pro anima ejusdem Pauli ſuas jam cervices periculis mortis ſuppoſuerant. Rom.16. v.3. 4. poſtqvam etiam Paulus ab Hieruſalem per circuitum usqve Illyricum omnia repleverat Chriſti evangelio Rom.15. v.19. ex qvibus conſeqvens eſt eosdem Aqvilam & Priſcillam, poſtquam Corinthi & Epheſi ad tempus fuiſſent commorati, reverſos eſſe in urbem Romam, priusquam Paulus Romam vinctus duceretur. Non ergo ſcripſit Paulus epiſtolam illam ad Romanos à Corintho, tempore illo, quô apud Priſcillam & Aqvilam hoſpitaretur. 1.Cor.16. v.19. ſed illis abſentibus & in urbem reverſis apud Cajum hospitatus Rom.16. v.23. Gerhard. in hanc epiſt.p.10. Danhaw. in Hodom. Spiritus Cal. p.488. Tempus ſcriptionis hujus epiſtolæ, incidit in annum Chriſti 54. Claudii Imperatores 12. Pauli nati 52. converſi. 20.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ut apparet ex χρονοτάξει in Chriſteid. p. 150. Fuit hæc epiſtola (ordine temporis) tanqvam centrum poſita in medio ſex priorum extra-Romanarum, & ſeptem poſteriorum è Roma : & ibidem paulò ante. ſcripta eſt, cùm Apoſtolus in Græcia tres menſes commoratus (prius non poterat) denuò Corinthum viſitavit. Act. 20. v. 3. Subſcribit huic calculo poſt Origenem Baronius ad annum 58. 46. Theodoretus in præfatione ad omnes Pauli epiſtolas. Ultima omnium, qvæ ex Aſia & Macedonia & Achaja miſſæ ſunt, ſcripta eſt ad Romanos, & locum habet ſeptimum. Plura vide numero V. de epiſtolis Paulinis in genere. Quæritur cur Epiſtola hæc primô locô inter Paulinas poſita ſit? Reſp: Factum eſt hoc propter exactam omnis generis doctrinam, qvæ in hac epiſtola tractatur. Argumentum enim hujus epiſtolæ non ſolùm dignitate & gravitate aliis omnibus præponderat, ſed ipſa qvoqve chriſtianæ inſtitutionis ac pietatis prima rudimenta, qvibus omnis noſtra religio innititur, tradit: commendat nobis gratuitam Dei miſericordiam, meritum Chriſti & fidem, qvæ eſt fundamentum, ſine qva impoſſibile eſt placere Deo. Hinc meritò clavis Theologiæ, armamentarium & catecheſis Chriſtianorum audit. Lutherus hanc epiſtolam vocat principalem ſummam N. T. & púriſſimum evangelium, Das rechte Hauptſtucke des newen Teſtaments / und das allerlauterſte Evangelium. Sunt, qvi ob præeminentiam Romanæ Eccleſiæ eam primô locô poſitam volunt. Sed Æneâ Sylvio teſte ante concilium Nicenum exiguus reſpectus habebatur ad eccleſiam Romanam. Quidam ſtatuerunt epiſtolam hanc primam eſſe ob populi Romani

majeſtatem, nam penes Romanos tum ſumma imperii totius verſabatur. Sed humilitas Chriſti non curat majeſtatem & gloriam mundi.

VI. LOCUS. Gloſa interlin. Rom ult. eam Athenis ſcriptam ſtatuit, in qva ſententia etiam Haymonem fuiſſe teſtatur gloſſa ordin. ad Rom. Origenes in præfatione rectiùs ſtatuit Corinthi eam eſſe ſcriptam. 1. Quia commendat Romanis Phœben, quam vocat miniſtram eccleſiæ qvæ eſt in Cenchris. Rom. 16. v. 1. Cenchris autē eſt portus Corinthi (ſicut pyræum Athenarum) ubi Paulus votū ſolvit. Act. 18. v. 18. 2. Quia ſalutat ipſos nomine cujusdā Caii hoſpitis ſui, non Derbæi, Act: 20. v. 4. non Macedonis. cap. 19. v. 29. ſed Corinthii, qvem ipſe ibi baptizaverat 1. Cor. 1. v. 14. 3. Salutat ipſos nomine Eraſti Oeconomi civitatis. Rom. 16. v. 23. qvem Corinthi remanſiſſe ſcribit. 2. Tim. 4. v. 20. 4. Idem teſtatur annexa ſubſcriptio. Gerh. in hanc epiſt. p. 11.

VII. SUMMA. Apoſtolus ſummam doctrinæ Chriſtianæ tradit, præſertim verò articulum gratuitæ juſtificationis ex profeſſo tractat, & qvidem per ἄρσιν & θέσιν. Per ἄρσιν docet, in qvo non conſiſtat vera Iuſtitia, nempe non in operibus luminis naturæ aut viribus humanis, nec in operibus legis moralis vel ceremonialis. Per θέσιν monſtrat, juſtitiam hanc conſiſtere in fide, qvâ nobis meritum gratiæ per filium Dei partæ imputatur.

IIX. PARTITIO. Non unus eſt omnibus dividendi modus. Brentius tres facit hujus epiſtolæ principales partes, juxta tres principales virtutes Chriſtianas, Fidem, Spem, Charitatem. Capite primô dicit

tra-

tractari de fide. Inde ad duodecimum usqve de Spe. Denique qvod ſupereſt de Charitate. Alij juxta tres partes converſionis, quæ ſunt contritio, fides, & nova obedientia. Quidam per analogiam ad partes Medicinæ eam diſtribunt, quod in ea 1. oſtendatur morbus, videlicet injuſtitia hominis cap. 1. 2. & part. 1. c. 3. 2. Remedium contra iſtud malum. cap. 3. 4. & ſeqq. 3. Diæta, qvam obſervare debent tantô malô liberati, & contrarii boni participes facti. c. 12. 13. 14. Nos conſtare dicimus procemio, tractatione ipſa & epilogo. Tractatio conſtat tum legali gentium & Judæorum accuſatione, qvod utriqve peccato ſint obnoxii, tum Evangelicâ informatione, de gratuita per fidem in Chriſtum juſtificatione, & conſeqvente juſtificationis, vitæ novitate. Vel duas ſectiones habet. Una eſt de operibus Legis, rationis, gratiæ ad cap. 12. Altera eſt de exercitio virtutum Chriſtianarum, ad cap. 16.

IX. USUS. Hæc epiſtola generalem doctrinam omnibus eccleſiis ex æqvo neceſſariam & communem continet, & ſi initio & fine qvædam nomina propria perſonarum & locorum fuiſſent mutata, non multum retuliſſet ad qvam Eccleſiam, & qvô tempore miſſa fuiſſet, ideóqve ratione doctrinæ etiam nobis maximè neceſſaria & utilis eſt. Danhaw. in Hodom. Spirit. Calv. p. 486. Auſim dicere plurimos Romæ etiam Germanos fuiſſe, ut adeò nihil impediat, qvin dicamus hanc epiſtolam ad Germanos etiam exaratam, tantò magis nobis cordi habendam. Sed ſpecialiſſimus hujus epiſtolæ uſus eſt, Arcani divini cœleſtis curiæ revelatio, de noviſſimorum præ primis in tempore, ac in regno gratiæ, electione gratuitâ, de qva Chriſtus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Matth. 19. v. ult. Vid. Danhaw. Hodomor. Spiritns Calvin. pag. 498.

CAP. SUMMARIUM.

I. Epiſtolæ ἐπιγραφή καὶ εὐχή. Lumcm gratiæ & naturæ. Catálogus ſcelerum contra Legem.

II. Iudæi & Gentes coram Deo ex æqvo Peccatores.

III. Omnis Judæorum prærogativa in Dei miſericordia ſita eſt.

IV. Fides Abrahæ : juſtificatio non ex operibus, ſed ſolâ fide.

V. Abundans gratia Chriſti adverſus peccata hominum : Collatio Adami primi & ſecundi.

VI. Mortificatio veteris hominis, & vivificatio novi.

VII Exemplô ex conjugii lege docet Paulus, qvid ſit non eſſe amplius ſub lege : Lucta carnis & Spiritûs.

VIII. Vires Spiritus & gratiæ Chriſti adverſus Legem & peccata.

IX. X. XI. } Judæi ob malè habitam Dei grariam rejecti ſunt, & in illorum locum recepti ſunt gentiles.

XII. Cultus Deo gratus oſtenditur : dilectio inimicorum præcipitur.

XIII. Magiſtratui obediendum : proximus diligendus: opera injuſtitiæ fugienda.

XIV. Infirmi in fide tolerandi ſunt : libertas Chriſtiana.

XV. In eccleſia ſunt firmi, & infirmi: ratio ſcriptionis hujus epiſtolæ redditur.

XVI. Salutat pios, & monet Pſeudo-evãgeliſtas vitare.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

I.

NOMEN à Corinthiis habet. Fuit autem Corinthus nobiliſſima civitas Achajæ, ſita in Iſthmo, & totius Peloponneſi clavis, lumen & decus totius Græciæ, ut Cicero ait, qvæ Ionio & Ægæo mari imperabat, eò gloriæ provecta, ut Romam orbis Dominam præ ſe contemneret. Sed ager Corinthiorum, urbis ampliſſimæ & opulentiſſimæ (ſive viros innumeros ad civile regimen peritiſſimos, ſive eximias opificum artes animo vertas, unde & Græciæ emporium dicta eſt) formam non conſeqvebatur: hinc Strabo libr. Geogr. 8. ſcribit, Corinthios opibus, & artibus, & ingeniis præcelluiſſe, cæterum regionem illorum non admodum fuiſſe feracem, qvod inæqvalis eſſet, & aſpera, & petricoſa. Inde Adagium: Κόρινθος ὀφρύεταί τε καὶ κοιλαίνεται i.e. Alibi tumet Corinthus, alibi cava eſt; ſeu qvod idem: Corinthus & collibus ſurgit, & vallibus deprimitur. Siſyphus, qvi fuit avus Ulyſſis Ithacæ Regis, primus eam condidit, & Ephyram nominavit, ut Euſebius refert, nimirum temporibus Ioſuæ apud Hebræos: vel etiam Deboræ, ut alij ſentiunt. Corinthus autem à Corintho Oreſtis ſeu Jovis filio dicta eſt. Claruit ære laudatiſſimo, qvo vaſa fiebant admodum pretioſa, unde Seneca: Pretioſa ſonent æra Corinthi: & Corinthia opera olim laudatiſſima fuerunt, & primæ nobilitatis: hinc Cicero in orat: pro Roſcio. Domus referta vaſis Corinthiis & Deliacis. Strabo lib. 8. æqvali in præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

pretio æſtimata fuerunt cum vaſis Corinthiis. Addit Luc: Florus. Æris notam pretioſiorem fecit opulentiſſimæ urbis Corinthi injuria, qvia incendiô peruſtis plurimis ſtatuis atqve ſimulachris, æris,auri, argentiqve venæ in commune fluxerunt. Habuit hìc Venus Dea templum magnificum, adeòque locupletatum, ut plus mille puellas haberet, qvas Corinthii Veneri conſecrarant, ut in honorem ejus proſtarent. Itaqve harum gratiâ freqvens in urbem multitudo undiqve confluebat, unde civitas majorem in modum ditabatur, qvin etiam negociatores, hoſpites & nautæ propter urbis luxum deliciásqve immoderatos ſumptus facientes exhauriebantur. Corinthios maximè ſcortationi deditos fuiſſe colligitur etiam ex 1.Cor.5. v.1. &. c.6. v.11. 2.Cor.12. v.21. Hinc apud Ariſtophanem in Pluto. ἑτέραι Κορινθίαι, i. e. meretrices Corinthiæ, qvæ, referente Cornelio Agrippa, cum Perſes expeditionem in Græciam faceret, delectæ ſunt, ut pro ſalute Græciæ in templo Veneris ſupplicarent: nam is mos erat apud Corinthios, ut de re magna ſupplicaturi Veneri, meretricibus id committeretur. At qvamvis hæc civitas cœteris fuerit corruptior, tamen lex erat oppoſita ſumptuoſius, qvam pro rei familiaris modo viventibus: uti videre eſt apud Athenæum. lib. VI.

Hoc lege ſancitum eſt hic apud Corinthios:
Si qvempiam obſonare ſemper ſplendidè
Videmus, hunc rogamus vnde vivat, &
Quid faciat operis. Si facultates habet,
Ut reditus harum ſolvere expenſas qveat,
Perpetimur illum perfrui bonis ſuis.

Sin fortè ſumptus ſuperat ea, quæ poſſidet,
Prohibemus huic, ne faciat hoc in poſterum.
Ni pareat jam plectitur mulctâ gravi.
Sin ſumptuoſè vivit is, qvi nihil habet,
Tradunt eum tortoribus. Proh. Hercules.
Nec enim licet vitam absq; malo ullo degere
Talem ſcias; Sed eſt neceſſe aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium.
Aut hæc patrantum jungier commercio,
Aut in foro agere Sycophantam, aut perfidum
Præbere teſtem. Nos genus hoc mortalium
Ejicimus hac ex urbe velut purgamina.

Legatos Romanorum violabant cives, unde factum eſt, ut Romani cum exercitu mitterent Conſulem Mummium, qvi urbem cepit, & funditus delevit, viros omnes trucidavit, fœminas & pueros vendidit. Diruta autem eſt Corinthus cum 955 annis ſtetiſſet. Epitome Livij. Reſtauravit eam Julius Cæſar, donec rurſum crudelitate Alanorum & Gothorum vaſtaretur, qvorum Rex erat Alaricus, ut Zoſimus refert. Tandem Mahometes Sultanus Turcarum ſuo imperio adjecit, & adhuc cum Græcia ſuſtinet jugum Barbarorum. In hac urbe Paulus ſeſqviannum docuit ſermonem Dei. Act. 18: v. 11. erat enim ad Chriſtum multus populus in ea urbe convertendus. v. 10.

II AUCTOR.

III AUCTORITAS. ut in præcedenti ad Romanos. Sunt qvi Paulum ad Corinthios, aliam qvoqve epiſtolam, qvæ hodie non extat, ſcripſiſſe colligunt, ex 1. Cor. 5. v. 9. & 11. ex antitheſi illa νυνὶ δὲ ἔγραψα: Lucas Oſiander, Hunnius, Beza, in h. l. Bellarminus lib. 4.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

de V. D. c.4. probat ex defectu hujus epiſtolæ Traditionum neceſſitatem & ſcripturæ imperfectionem. ſed contrarium rectius exiſtimant, Chryſoſtomus, Photius, & plures alii, qvi volunt, qvod hæc ipſa epiſtola intelligatur, dicit enim in Græco textu ἔγραψα ἐν τῇ ἐπιστολῇ: ſcripſi in hac epiſtola, ubi articulus præpoſitivus eſt emphaticus. Vid. Glaſſ. Philol. lib.3. p.170. & reſpicit v.2.6. & 7. cap.5. nec antitheſis illa v.11. neceſſariò convincit ipſum de alia epiſtola loqvi, nam particula nunc exponi poteſt, qvaſi dicat, et tamen, vel, interim tamen, nihilominus tamen, ut particula nunc non notet tempus, ſed ſit adverſativa. Piſcator in hunc locum. Priorem autem hanc epiſtolam qvæ hodie extat diſignari. 2. Cor. 7. v. 8. omnes agnoſcunt.

IV. OCCASIO. Docuerat Apoſtolus Corinthi per integrum annum & ſemeſtre. Act: 18. v.1.11. ſed poſt diſceſſum Apoſtoli diſſidia, nævi, ſchismata in eccleſiâ Corinthiaca excreverunt. Rem omnem reſcivit Apoſtolus ὑπὸ τῶν χλώης, ex iis, qvi erant de familiâ Chloes 1. Cor. 1. v. 11. qvæ procul dubio religioſa matrona fuit. Nam neqve ullus in eo tractu locus commemoratur hoc nomine, neqve ſi locus ſignificaretur, prætermiſſa fuiſſet præpoſitio, ut rectè obſervavit Eraſmus. Alij cenſent nomen eſſe viri, ſed paſſim apud Græcos hoc nomen mulieribus tribuitur. Ob varia doctrinæ & morum exorta ſcandala, Eccleſia non fuit admodum pura. In doctrina erant ſeductores, qui traditiones ab Apoſtolis cœteris acceptas falſò jactabant, & Pauli auctoritatem convellere ſtudebant, & multas dubias qvæſtiones movebant de cœliba-

libatu, de nuptiis, de Idolothytis, de qvibus Corinthii peculiari epiſtolâ Paulum conſulebant cap. 7. v. 1. ad qvam reſcribendum & reſpondendum officii cauſa fuit Apoſtolo. Nonulli etiam religionis fundamentum, reſurrectionem mortuorum negabant cap. 15. v. 23. 35. In moribus regnabant ambitio, diſcordia, luxuria, avaritia, contentiones & ſchiſmata. 1. Cor. 1. v. 11. & 12. Alius cum noverca deteſtandum matrimonium iniit. c. 5. alii coram judicibus ſcandaloſè litigabant &c. c. 6. alii libertate Chriſtianâ & ipſis ſpiritualibus donis abutebantur. c. 8. & 12. qvando congregabantur, οὐκ εἰς τὸ κρεῖττον, ἀλλ’ εἰς τὸ ἧττον conveniebant & profana ſymposia Dominicæ cœnæ permiſcebant. v. 17. c. 11. Utriqve malo Apoſtolus in præſenti epiſtola occurrit, & diſciplinam eccleſiaſticam Corinthi redintegrare cupit.

V. TEMPUS & LOCUS. Scripta eſt Epheſi. Paulus enim dicit ſe manſurum Epheſi usqve ad Pentecoſten 1. Cor. 16. v. 8. & in fine dicit, ſalutant vos eccleſiæ Aſiæ, & inter illas etiam nominat Aqvilam & Priſcillam, qvos Epheſi Act. 19. Paulus reliqverat. Alii ſcriptam volunt, dum Philippis in Macedonia ageret Paulus, ut ſubſcriptio Epiſtolæ commonefacit, qvæ in Græco & Syriaco invenitur, ſed in vulgata Latina omittitur. Sed Beza ex 2. Cor. 2. v. 12. elicit hanc epiſtolam non eſſe datam Philippis, ſed Epheſi, & quidem ante Demetrii ſeditionem: nam alioqvin receſſiſſet à Corinthiis veniens Philippis Troada, nec dixiſſet, veni, ſed redii in Macedoniam. Idem elicit ex 1. Cor. 16. v. 5. collato cum Act: 19. v. 21. & 2. Cor. 1.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

v. 15. Vid. annotationes Bezæ locis citatis. Plura vide num V. de epiſtolis Pauli in genere.

VI. SUMMA. Continet varias variorum vitiorum atqve abuſuum, qvi in Eccleſiam Corinthiacam irrepſerant, reprehenſiones & correctiones.

VII. PARTITIO. Conſtat proœmio, tractatione ipſa, & epilogo. Tractio habet duas partes. Una eſt ἐλεγκτική, qvâ arguit vitia adverſus primam & ſecundam tabulam Decalogi, cap. 1. ſeqq. ad 8. Altera eſt δογματική, qvâ oſtendit uſum libertatis Chriſtianæ, miniſterii ſacri, probat reſurrectionem mortuorum. c. 8. ſeqq ad finem.

VIII. USUS hujus epiſtolæ cum reliqvis Scripturæ partibus Canonicus & generalis eſt: in principio ſtatim deprehenditur Paulum hujus epiſtolæ uſum non tantùm voluiſſe conferre in neceſſitatem Eccleſiæ Corinthiacæ, ſed communem eſſe velle ex æqvo omnibus vocatis ſanctis, qvi invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in omni loco ipſorum & noſtro. cap. 1. v. 2. Unde & nobis hanc Epiſtolam non minùs qvàm illis ſcriptam putemus.

CAP. SUMMARIUM.

I. Arguit ſchismata ob præcellentiam Doctorum malè intellectam nata: Chriſtus crucifixus Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitia, credentibus ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio.

II. Pauli prædicatio coram mundo qvidem abjecta, ſpiritus tamen virtute inſignis: Carnis judicio Evangelij prædicatio non poteſt æſtimari.

III. Reſumit ſchiſmatum correctionem, & unionem

nem in Chriſto inculcat. Paulus plantat, Apollo rigat, Deûs dat incrementum. Chriſtus fundamentum Eccleſiæ: ſapientia mundi.

IV. Paſtores ſunt diſpenſatores myſteriorum Dei, & ſpectaculum mundi.

V. Iubet eum, qvi inceſtum commiſerat de cœtu proſcribi: commercia impiorum vitanda.

VI. Contentiones forenſes & fornicationes inſectatur.

VII De ſtatu conjugii & cœlibatus diſſerit.

VIII. De conviviis Idolothytorum, & de vitando ſcandalo.

IX. Oſtendit Apoſtolus ſe ultrò abſtinuiſſe, ne qvem in rebus mediis offenderet. Vel verum Paſtorale.

X. Deus ut Judæis non parcit ita nec aliis. Ab idololatria graviſſimè dehortatur, & vitam Chriſtianorum gloriæ Dei accommodatam eſſe vult.

XI. Qualis ſit habitus virorum & mulierum in eccleſiâ, & qvæ ſit natura Euchariſtiæ.

XII. Varietas donorum Dei, & ipſorum uſus.

XIII. Charitatis ſpeculum & excellentia præ aliis donis.

XIV. Donum lingvarum commendat: verum interpretandi ſcripturas uſum docet, abuſum tollit.

XV. Reſurrectionis veritas & ordo.

XVI Liberalitas eleemoſynæ: amicæ exhortationes ac ſalutationes.

II. AD CORINTHIOS.

I. NOMEN. II. AUCTOR. III. AUCTORITAS. ut in præcedentibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

IV. OCCASIONEM ſcribendi dederũt Corinthiorũ diverſa de Paulo judicia: Nam Titus ſuâ ſponte Corinthum iverat. 2. Cor. 8. v. 17. ut exploraret, qvis illic eſſet ſtatus eccleſiæ, & qvo, poſt primam epiſtolam aliqvanto aſperiorem, eſſent affectu in Paulum: qvi reverſus varia ſecum de Paulo, qvæ ibi audierat, affert judicia. Quidam enim exprobrarant Paulo ſuas perſecutiones: Quidam dixerant affectare illum tyrannidem in Corinthios; qvidam nimis præcociter illum egiſſe in excommunicando inceſtuoſo: Quidam longe inferiorem eſſe iis, qvi ipſum Chriſtum in carne vidiſſent: Quidam Paulum eſſe qvidem mitem in converſatione, durum in epiſtolis: Quidam Paulum aliter docere præſentem, aliter abſentem: *Alij* aliter ut fit inter homines, in qvæ diverſa judicia populum trahebant Pſeudo-Apoſtoli. Hiſce ergo tam calumniis, qvàm pravis vulgi judiciis occurrit Apoſtolus in hac epiſtola, & monſtrat ſe omnia feciſſe ex ſincero ſalutis promovendæ affectu, nihil verò ex levitate, ambitione aut dominandi ſtudio, ut multi calumniabantur.

V. TEMPUS. Titus Corintho redit ad Paulum in Macedoniam, quem mirificè ſuo adventu recreat. 2. Cor. 7. v. 13. renuncians Apoſtolo Corinthiorum ſtudium erga ipſum. v. 6. 7. atqve tunc temporis videtur Paulus ſcripſiſſe hanc epiſtolam ſuam ſecundam ad Corinthios, éamq; per Titum & Lucam Evangeliſtam Legatos miſiſſe Corinthum, ut epiſtolæ epilogus teſtatur. LOCUS. Scripta eſt Philippis in Macedonia, uti docet ſubſcriptio in Græcis & Syris codicibus. Beza in Scholiis, Philippis aut ex alia Macedoniæ urbe ſcriptam fuiſſe hanc epiſtolam teſtatur.

Sed

Sed huic ſentẽtiæ obſtare videtur cap. 1. v. 1. hujus epiſtolæ, ubi fit mentio Timothei cùm hæc epiſtola data ſit Philippis in Metropoli Macedoniæ. c. 13. 14. Timotheus autem relictus ſit Epheſi, cúm Paulus diſcederet in Macedoniam. 1. Tim. 1. v. 3. Reſp. Certum eſt Paulum reliqviſſe Timotheum Epheſi, ſed qvando hoc ſit factum dubitatur. Ex hiſtoria apparet Paulum ter in Macedoniam vèniſſe. Prima profectio in Macedoniam fuit, cum Timotheum Lyſtræ primum cognitum comitem aſſúmpſit. Act. 16. de altera fit mentio. Act. 19. v. 22. ubi Timotheus ſimiliter adfuit, & tunc temporis ſcriptam fuiſſe hanc poſteriorem ad Corinthios in Macedonia liqvet ex capite 9. v. 2. &. 7. v. 5. & Paulum tunc in Macedonia Timotheum habuiſſe comitem patet ex inſcriptione. 2. Cor. 1. v. 1. Tertia commemoratur Act. 20. v. 3. & facta eſt non ex Aſia, ſed ex Græcia, ubi pleroſqve comites hinc inde in Aſiam emiſit, nominatim etiam Timotheum v. 4. 5. de hac ſermo eſt. 1. Timoth. 1. v. 3. ut ait Gerhardus in notis in 1. ad Timoth. 1. v. 3. p. 11. Vide hìc Bezam in annot. p. 440. Baronius. Tom. 1. Annal. putat Nicopoli ſcriptam eſſe. Anno Ch. 58. Plura vide in num. V. de epiſt. Pauli in genere.

VI. SUMMA. Conſolatur Corinthios, & inceſto flagitio pollutum abſolvit. Inde agit de pœnitentia, dignitate miniſterij in Novo Teſtamento, fugienda ſodalitate improborum, patientiæ ſtudio. Occurrit Pſeudo-Apoſtolis, falſis doctoribus, & calumniatoribus, qvi ipſius dicta & facta in ſiniſtram interpretabantur partem. Maxima igitur ex parte eſt Apologetica in genere Judiciali: interim alicubi immiſcentur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

exhortationes & reprehenſiones. Differt hæc epiſtola à priori ſicut oleum à vino, ſeu Evangelium à Lege. Hic enim mitius agit cum Corinthiis, conſolatur eos, & ſe benignum exhibet, & jubet, ut excommunicatum recipiant in gratiam.

VII. PARTITIO. Habet duas partes: Una eſt δογματικὴ, ubi commendat miniſterium Evangelicum, patientiam, bona opera cap. 1. ad 10. excluſivè. Altera eſt ἀπολογητικὴ contra invectivas hoſtium, & auctoritatem ſuam aſſerit enumeratione laborum, viſionum & periculorum, qvæ propter evangelij prædicationem ſuſtinuerat. cap. 10. ſeqq.

IIX. USUM oſtendunt Pauli verba cap. 1. v. 13. cap. 10. v. 11. & cap. 13. v. 2. ex qvibus colligitur, nos non minus nunc, nec alio modo habere Paulum docentum in noſtris eccleſiis, qvàm cum præſens vivâ voce iſtas eccleſias inſtrueret.

CAP. SUMMARIUM.

I. Deus eſt verus & ſtabilis in promiſſis.

II. Moechum reſipiſcentem in eccleſiam recipit, ne deſperet.

III. Paulus dicit ſe miniſtrum non literæ, ſed ſpiritus: Diſcrimen legis & Evangelii.

IV. Calamitates omnes ſpe in Deum & futuræ vitæ fiduciâ tolerandæ ſunt.

V. Quantum bonum ſit vitæ alterius: & qvantum munus ſit fungi legatione pro Chriſto.

VI. Infidelium commercia cavenda ſunt.

VII. Dicit ſe mœrore eos affeciſſe, ut ad pœnitentiam non pœnitendam adduceret.

VIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

VIII.
IX. } Hortatur ad liberalitatem Eleemoſynarum.

X. Armatura Chriſtianorum.

XI. Paulus propter calumniatores laudes ſuas prædicat.

XII. Revelationes ſibi factas citra oſtentationem tamen recenſet.

XIII. Arguit abuſus eccleſiæ, & ſvadet correctionem morum.

EPISTOLA PAULI. AD GALATAS.

I.

NOMEN. Nomen habet à Galatis, qvibus inſcripta. Quomodo autem Apoſtolus eccleſias Galatiæ primum plantarit, de eo vide. Act. 16. v. 6. &c. & cap. 18. v. 23. &c: Eſt autem Galatia regio minoris Aſiæ (qvam Galli olim ex Europa venientes habitarunt) ab ortu Myſiam & Phrygiam: ab auſtro Piſidiam: à ſeptentrione Paphlagoniam attingens. In ea celebriores urbes olim fuerunt, Ancyra, qvæ ſynodo ibi celebratâ nobilis. Gordium, in qvo nodus Gordius fuit, qvem Alexander Magnus gladiô diſſolvit, & Peſinum à Mithridate conditum: Hieronymus ſuo etiam tempore lingvam Trevirorum illic uſitatam fuiſſe teſtatur. Urbs hìc Sinope, regia ſedes Mithridatis iſtius, qvi Romanos bellô infelici vexavit, nec non patria Diogenis Philoſophi. Ejusdem populi nomina ſunt Celtæ, Galatæ, & per Syncopen Galli. Hinc regio etiam dicta eſt Gallo Græcia: primùm autem Galatæ dicti ſunt à

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Galata Rege, filio Herculis Lybii, à qvo deſcenderunt, teſte Beroſo. lib. 5. hic ante Trojanam expeditionem in Galliam venit, & in Burgundia Alexiam urbem condidit, teſte Dionyſio Halycarnaſſeo. Diodorus Siculus lib. 6. addit. Hos Galatas adjunctis Cimbris, qvi Germanorum pars ſunt partem Græciæ & Aſiæ occupaſſe, & Galatas in Aſia condidiſſe, circa ea tempora, (ut ex Manethone apparet) qvibus Gedeon in Iſrael Judex fuit. Fides penes auctorem. Poſtea circa Cyri tempora, Galli & Germani, Boij & Senones Italiæ regionem circa Padum poſſederunt, qvæ ab ipſis Gallia Ciſalpina deinceps nominata eſt. Hi Galatæ & Germani ante Monarchiam Alexandri M. Romam occupârunt & cremaverunt, ſed tamen à Camillo rurſus repreſſi ſunt. Quæ hiſtoria integrè à Livio lib. 5. narratur, & ut Polybius refert anno 10. poſt captas à Lyſandro Athenas accidit. Poſt Alexandri Magni mortem Galatæ ſeu Galli Brenno duce per Germaniam primum in Illyricum, inde in Thraciam & Macedoniam profecti ſunt, ubi frater Ptolomæi Philadelphi, Ptolomæus Κέραυνος, qvi Macedoniam tunc tenebat ab iis interfectus eſt. Cùm ulteriùs autem in Græciam progrederentur Galatæ, & templum Delphicum direpturi eſſent, terræ motu & fulminibus repulſi & diſſipati ſunt. Hanc hiſtoriam prolixè narrat Pauſanias in Phocicis. Poſtea ex Thracia in Aſiam trajecerunt Galatæ invitati à Nicomede Bythiniæ Rege, qvi à Sibæa qvodam vexabatur. Cúmqve peritiâ rei militaris & fortitudine ac robore corporum præſtarent à vicinis Regibus ſtipendia acceperunt, & magnam Aſiæ minoris partem vectigalem habuerunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

erunt. Tandem ab Attalo Pergami Rege victi ad Halyn fluvium conſederunt, ac Paphlagoniam partem Phrygiæ, Cappadociæ & vicinarum regionum tenuerunt, qvæ ab iis Galatia dicta eſt. Annumerat Ptolomæus Galatarum urbibus etiam Antiochiam Piſidiæ, in qva prolixam illam concionem Act. 13. deſcriptam Paulus habuit. Hanc regionem amplam & populoſam tenuerunt Galatæ annis ferè 300 anteqvam Paulus apud eos concionatus eſt, & aſſiduè intereà viciorum Regum bellis interfuerunt. Habuit & Antiochus Galatarum auxilia cum Romanis bellum gerens. Quam ob cauſam victô Antiochô Galatæ qvoq; à Manlio Romano Conſule domiti ſunt, cujus victoriæ mentio fit 1. Macchab. 8. v. 2. Narrat Athenæus. lib. 4. tantam illorum immanitatem fuiſſe, ut in bellis captos hoſtes Diis immolarent. Ex hac ferâ, crudeli & impia gente, Deus ſibi per miniſterium Pauli & Barnabæ æternam eccleſiam collegit. Vid. Chron. Philippi. Friedlieb. Obſerv. in hanc epiſtolam. Cram. Iſagog. ad hunc locum. Munſteri Cosmographiam. Buntingium & alios. Luther. Tom. 4. Jenens. Lat. f. 17. ait: Quidam putant nos Germanos oriundos eſſe ex Galatis, nec vana eſt forſan ea divinatio, non enim valdè diſſimili ſumus Germani ingenio, & cogor in noſtris reqvirere aliqvid gravitatis & conſtantiæ.

II. DE AUCTORE. III. DE AUCTORITATE in præcedentibus. Adde hìc 1. aſſeverationem qvâ doctrinam ſuam tantæ divinitatis eſſe aſſeverat Apoſtolus, ut & Angelum de cœlo, aliud qvid docentem anathemate ferire magnâ cum πλεροφορία auſit. c. 1. v. 8. 2. Juramentum. v. 20. Scripſit autem Apoſtolus inte-

gram hanc epiſtolam propriâ manu c. 6. v. 11. ut indicaret ſingularem ſuum erga Galatas amorem, cùm ad alios non propriâ manu, ſed per Amanuenſem tantùm ſcribere ſuumqve nomen & votum uſitatum ſubſcribere ſoleat manu propriâ, qvemadmodum conſtat ex Rom. 16.21. Col. 4. v. 18. Difficultas qvædam eſt in voce πηλίκοις, qvomodo explicari debeat; ad verbum ſonat qvantis, vulgata reddit qvalibus. Hieronymus exponit de ipſo tractu literarum, qvæ grandiusculæ fuerint ut legi à ſenibus poſſent: Theophylactus Chryſoſtomum ſeqvutus ſumit de literarum qvalitate, nimirum qvod informes viſæ meritò fuerint ob feſtinationem ſcribentis. Alij ad ſententiarum ſublimitatem referunt, ut Hilarius, Syrus interpres non legit iſtud verbum. Commodiſſime omnium refertur ad prolixitatem literarum, qvod ſit longiſſima earum quas ſuâ manu Paulus ſcripſerit, ut ſtatim addit; Sunt qvidem epiſtolæ Romanis & Corinthiis inſcriptæ longiores, ſed alienâ manu exaratæ. *Illa ad* Romanos Tertii cujusdam manu, Rom. 16. v. 22. Epiſtolam vero 1. ad Cor. Soſthenis, qvem ſibi adjungit, poſteriorem verò Timothei manu ſcriptam fuiſſe Bezæ probabile videtur. Confer Bezam notis ad h. l. Flacius part. 2. clavis p. 81. obſervat Paulum ad Romanos rerum Dominos graviter & cum majeſtate qvadam tractare univerſa. Ad Galatas verò tanqvam ad leves & inconſtantes aliô ſermonis habitu, nempe acri & mordente, alicubi etiam humiliore uti.

IV. OCCASIO. Intellexerat Apoſtolus ſeduci ſe paſſos Galatas per ψευδο-Apoſtolos tum temporis in Aſia vagantes, qvos Nazaræos, Hieronymus & Epipha-

pha-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

phanius vocat, hi puram Evangelii doctrinam, qvam Galatæ à Paulo acceperant de juſtitia fidei, ſeu juſtificatione hominis gratuitâ per ſolam fidem in Chriſtum, corrumpebant admixtione juſtitiæ operum, docentes hominem non juſtificari, ſeu juſtum cenſeri & pronunciari à Deo per ſolam fidem in Chriſtum, ſed ad juſtitiam coram Deo ac proinde vitam æternam conſeqvendam opus præterea eſſe obſervatione ſeu præſtatione legis, & qvidem non ſolum moralis, ſed etiam ceremónialis. Perſtringebant Paulum, qvaſi is qvidem de initio juſtificationis recte docuiſſet, interim autem omiſiſſet ſolidum juſtitiæ complementum, neceſſariò ex lege adjiciendum. Pro ſe adducebant ſeveriſſima Moſis mandata, & exempla Apoſtolorum Petri, & Jacobi, qvi initiô conſvetudinem gentium evitaverant, & cum Judæis judaizaverant, qvorum auctoritati Evangelium Pauli poſtponebant. His itaq; corruptelis totis viribus in hac epiſtola ſe opponit Apoſtolus.

V. TEMPUS & LOCUS. Data eſt Româ, ut ſubſcriptio docet itemq; Athanaſius & Theodoretus, cúm Apoſtolus in conductô illic habitaret. Sed contrarium patet. 1. qvia nullam facit mentionem vinculorum. 2. qvia Timothei in exordio nulla fit mentio, quod in aliis epiſtolis Romæ ſcriptis factum eſt. 3. qvia c. 1. v. 6. Paulus de Galatis conqueritur, qvod tam citò à fide agnita abrepti fuerint, ideo veriſimilius non Romæ, ſed alibi potiùs, & qvidem ante diſcrimina Hieroſolymitana ultima eſſe exaratam. Alii volunt Epheſi compoſitam eſſe. Alii Antiochiâ ſcriptam, in qva ſententia eſt Beza notis ad cap. 2. v. 1. Lucas nar-

rat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

rat, inqvit, qvinqve Pauli ad Hieroſolymitanos profectiones poſt ipſius ad Chriſtum converſionem: unam, qvum ex Arabia rediret, ubi triennium egerat. Act. 9. v. 26. Alteram. Act. 11. v. 30. qvum miſſus fuit Hieroſolymam cum Barnaba ad perferendas Antiochenorum eleemoſynas: Tertiam cum unà cum Barnaba miſſus eſſet, ut ibi decideretur controverſia de circumciſione, Act. 15. Quartam ex voto ſuſceptam. Act. 18. v. 18. & 22. Quintam deniqve à Luca copioſiſſimè deſcriptam. Act. 19. & deinceps. Ex his autem profectionibus iſta, qvæ hìc narratur neqve ad qvartam neq; ad qvintam referri ullô modô poteſt, nec etiam ad primam, imò profectò ne ad tertiam quidem. Qûinam enim illam nobiliſſimam Synodum Paulus præteriiſſet, cujus ipse pars magna fuerat, & cujus vel unius autoritas compescendis iſtis ψευδο-Apoſtolis ſufficiebat? Et qvis exiſtimare poſſit Petrum, in eo qvod ſubjicit Paulus fuiſſe peccaturum, ſi poſt illius Synodi deciſionem Antiochiam veniſſet? Supereſt ſecunda, ad qvam non incommodè poſſent iſta referri, niſi illud obſtaret, qvod Act. 11. dicitur Paulus cum Barnaba miſſus ab eccleſia: hìc verò dicere potiùs videtur, ſe ultrò & peculiari afflatu profectionem hanc ſuscepiſſe. Itaqve cenſuerim qvidem ego iſtam fuiſſe à Luca, ut alia non pauca, ac præſertim ipſius Pauli ad Galatas adventum cujus infrà fit mentio c. 4. v. 14. præteritam: & inter ſecundam illam & tertiam incidiſſe, in id tempus videlicet, qvod pauciſſimis narratur à Luca Act. 13. v. 1. ante primam illam Pauli & Barnabæ peregrinationem: & prius qvàm hæreſis illa eſſet exorta. Quò minus enim ad reditum ex illa peregrinatione iſtud

accommodari poſſit, illud obſtat, qvod ex hiſtoria illius Synodi apparet, tunc primùm Hieroſolymitanos cognoviſſe illius peregrinationis geſta. Act: 15. v. 4 ſic igitur arbitror hoc ſupputandum tempus, & Epiſtolam hanc ſcriptam Antiochiâ mox poſt reditum ex illa prima peregrinatione Pauli & Barnabæ, qvum hæreſis illa jam qvidem cœpiſſet, æmulis illis videlicet occaſionem fortaſſis ex iſto Pauli cum Petro & aliis privato colloqvio arripientibus: nec tamen penitus erupiſſet, nondum auſis nimirum illis Antiochiam ipſam invadere. Sed & illud tempus Lucas videtur innuere Act: 14. v. 25. ſive hos 14 annos ſeorſum numeres, ſive illos cum triennio illo Arabicæ prædicationis comprehendas. Hactenus Beza: Erant Galatæ ad minimum ſexennio anteqvam hæc ad eos ſcriberetur epiſtola converſi ut Theodoretus annotavit. Plura vide Num. V. de Epiſtolis Paul in genere.

VI. SUMMA. Decepti erant Galatæ & Judaismum unà cum religione Chriſtiana ſervabant, igitur Paulus eos revocat in viam, & libertatis per Chriſtum adeptæ commonefacit. Proximè accedit hæc epiſtola ad Epiſtolam ad Romanos, Paulus enim contra ψευδο-Apoſtolos defendit articulum juſtificationis, & docet, qvod homo non juſtificetur ex operibus legis, ſed tantùm per fidem in Ieſum Chriſtum. Bellarm. lib 1. de juſtificat: cap. 19. ſic diſſerit. Voluit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos, & eâ qvæ eſt ad Galatas demonſtrare, neminem poſſe juſtificari ſine fide in Chriſtum & gratuitâ Dei miſericordiâ. Sed Reſp. Apoſtolus non tantùm demonſtrare voluit, neminem juſtificari ſine fide in Chriſtum, & ſine gratuitâ Dei miſericordiâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ſed etiam gratiâ Dei, ſolâ, Chriſti meritô ſolô , & fide in Chriſtum ſolâ ſine operibus hominem juſtificari, id qvod Apoſtoli verba clariſſimè evincunt. Neqve ſcribit nondum converſis ad Chriſtum , qvi operibus ſine gratia factis juſtificari volebant, ſed ſcribit per evangelii prædicationem in Chriſtum credentibus. Act: 15. v. 5, & 11. Gal. 2. v. 16. Vid. num. V.

VII. PARTITIO: Partibus conſtat tribus. In prima auctoritatem ſui Apoſtolatus contra ψευδο-Apoſtolorum calumnias aſſerit, cap 1, 2. In ſecunda principalem qvæſtionem tractat , juſtitiam fidei confirmando, juſtitiam operum refellendo. c. 3. 4. In tertia ad ſtudium ſanctitatis Galatas hortatur, cùm vera & viva fides pet bona opera ſe exerat. c. 5. 6.

VIII. USUS oſtenditur ab Apoſtolo. c. 6. v. 16, ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι. Quicunqve ad hanc incedunt regulam, ut vertit Vatablus , pax ſuper eos & miſericordia. Eſt ergo ſcriptura norma & regula unica & certiſſima in rebus fidei , cui tutò fidere poſſumus , ſic ut pax & miſericordia Dei maneat ſuper nos , qvamdiu huic regulæ inſiſtimus. Nulla ſolatii felicitas eſt extra ſcripturam , unde illa Pauli 2. Tim. 3. v. 16. Perperam ergo Bellarminus lib. 4. de V. D. c. 12. Finis ſcripturæ præcipuus non eſt, ut ſit regula fidei , ſed ut variis documentis, exemplis, adhortationibus, nunc terrendo nunc inſtruendo, nunc minando, nunc conſolando, adjuvet nos in hac peregrinatione. Ex hoc loco ſcriptura Prophetica & Apoſtolica vocatur canonica. Nam ea, qvæ partium regularium, etiam totius eſt ratio. Eſt verò Canon ab Hebr. קָן norma , & notandum , qvod id qvod Davidi dicebatur קַו Kav , ſeu Canon Pſal. 19.

v. 5.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

v. 5. à Paulo vocetur ὁ φθόγγος ſeu prædicationis Apoſtolicæ ſonus Rom. 10. v. 18. nam hunc ſonum, h. e doctrinam Propheticam & Apoſtolicam inqvirat oportet, cui canon fidei, morum & veræ religionis cordi eſt. Notatio ſumitur à comparatis. Quemadmodum enim probati artifices ædificium extructuri, ne in hanc aut illam partem tortuoſè & deformiter inclinet, normam ſeu amuſſim, vel funiculum menſorium adhibent: Ita & libri Canonici ſunt qvaſi tutiſſimus canon & amuſſis certiſſima & planiſſima, ſecundum qvam omnia alia dicta, ſcripta & dogmata dijudicanda, & qvæ cum his congruunt amplectenda: qvæ vero cum his pugnant, ſunt rejicienda. Atqve ſic certi eſſe poſſumus, Deum rectè coli, fidem noſtram voluntati divinæ conformem eſſe, actiones noſtras Deo probari.

CAP. SUMMARIUM.

I. Galatas mutabiles accuſat, & ſe evangelium ſuum ab ipſo Chriſto accepiſſe oſtendit.

II. Congreſſus Pauli cum Petro, & cœteris Apoſtolis.

III. Abrahæ exemplo docet juſtificationem noſtram eſſe non ex lege, ſed ex fide.

IV Chriſtus eſt finis legis: revocat Galatas ad puritatem doctrinæ evangelij: ſtatús hominis ſub lege & Evangelio, ſive ſub peccato & gratia, per allegoriam Saræ & Agaris oſtenditur.

V. Uſus libertatis Chriſtianæ: Spiritui obediendum, carni reſiſtendum.

VI. Dilectio mutua: gloriatio in cruce Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

EPISTOLA PAULI.
AD EPHESIOS.

NOMEN, habet ab Epheſiis. Epheſus autem fuit metropolis Ioniæ Ethnicis ſuperſtitionibus & Magiæ deditiſſima, qvod teſtantur, qvæ de literis Epheſiis apud Heſychium & Clementem Alexandrinum referuntur: unde Ἐφέσια γράμματα. i.e. Epheſiæ literæ, qvæ erant deſcriptæ in pedibus, Zona & corona Dianæ. Heſychius indicat fuiſſe priſcas qvaſdam voces pro ſacris habitas, qvibus impoſtores deinde multas addiderunt. Priſcas putat has fuiſſe, ἄσκι, qvod interpretatur tenebras: κατάσκι lũen αἴξ ipſe δαμναμενεὺς, ſol: αἴσιον verum. His carminibus obſcuris, & literis corio vel chartæ inſcriptis morbos curabãt, Diabolos fugabant. Geſtabant has literas, ut ſacramentum Dæmonis, qvomodo alij παρέδρους familiares, qvos appellant Dæmones. Apud Athenæum lib. 12. Dypnoſoph. Anaxilas Poëta dicitur Epheſias literas pulchras in conſutilibus pelliculis geſtâſſe, fortaſſe in calceo. His Croeſum inſtructum ſuper rogo comburi non potuiſſe ajunt. Epheſius Luctator apud Svidam, qvod literas illas in talo geſtaret in Olympiis triginta ſuperabat, demptis illis ſuccumbebat. Vide Eraſmi Chiliades adagiorum. Alij etiam in incantationibus literis Epheſiis utebantur, teſte Plutarcho Sympos. lib. 6. qvæſt. 5. ubi ait Magos jubere & præcipere, ut occupati à malis geniis, ſecum legant & recitent Epheſia nomina, nempe ut eô modô liberentur. Ab Amazonibus primùm cõdita fuit urbs, teſte Volaterano lib. 1. Geograph. His eripuerunt Athenienſes, qvos rurſum Amazones ejecerunt,

cerunt, & urbem penitus exuſſerunt. Euſebius & Oroſius in Chronico. Reſtauravit Andronicus Codri Regis Athenienſium filius, qui etiam fundamenta poſuit celeberrimi templi Dianæ illius, quam omnium animantium nutricem eſſe credebant Ethnici, & ab alterâ venatrice diſtingvunt. Fuit hoc templum, inter ſeptem miracula mundi à Scriptoribus numeratum, totius Aſiæ ſtudio ducentis & viginti annis architecto Cherſiphrone ædificatum, & quidem in ſolo paluſtri, ne terræ motus ſentiret, aut hiatus timeret. At ne in lubrico ac inſtabili fundamenta tantæ molis locarentur calcatis ea ſubſtravere carbonibus, deinde velleribus lanæ. Ejus longitudo erat pedûm qvadringentorum & quinque & viginti, latitudo ducentorum & viginti, in illo erant centum & viginti ſeptem columnæ à totidem Regibus erectæ admirabilis longitudinis & pulchritudinis, nam ad ſexaginta pedum menſuram accedebant, qvarum triginta ſex fuerunt incredibili artificiô, & mirificè cœlatæ, cum aptis tanto artificio columnarum epiſtyliis. Aderant & picturæ mirificæ & pulcherrimæ ſtatuæ magnificentiæ ejus templi convenientes. Plin. lib. 36. c. 14. Simulachrum Dianæ in templo poſitum ex vite factum fuiſſe Plinius tradidit, fortaſſis ad æmulationem vitis Solymitanæ, de qva Florus lib 3. c. 5. Hieroſolyma Pompejus intravit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens ſub aureo vitem cœlo. Idolum cœlitùs fuiſſe delapſum credebant Epheſii, ſicut talia multa habuerunt ſiimulachra Ethnici qvæ διοπετῆ exiſtimabant, qvod conſtat ex Palladio Trojano & ex ſimulachro matris Deûm apud Romanos, qvod Herodi-

anus vocat ἄγαλμα διοπετὲς, & ex eo qvod narrat Sozomenus Eccl. Hiſt. lib. 1. c. 4. Sacerdotes juſſu Conſtantini ex adytis & occultis fanorum receſſibus produxiſſe ſimulachra qvæ διοπετῆ vocabantur, adde qvoqve ex Cicerone qvi lib. 5. in Verrem ait, fuiſſe Ennæ in Sicilia ſimulachrum Cereris, qvod erat tale, ut homines cùm viderent, aut ipſam videre ſe Cererem, aut effigiem Cereris non humanâ manu factam, ſed cœlô delapſam arbitrarentur: nimirum non defuerunt apud Ethnicos impoſtores qvamplurimi, qvi ad ſtabiliendam ſuperſtitionem perſvadebant populo aliqvid de cœlo decidiſſe, & ad ipſos delatum, qvod ſtudioſe & religioſè eſſet aſſervandum, ut patet ex Ancili Numæ, & ex aſtro illo ἀεροπετῆ qvod apud Tyrios aſſervabatur: qvemadmodum refert Philo Byblius: Sed & hìc notandum Euripidem Iphig. in Tauris, meminiſſe etiam ſimulachri Dianæ à Jove ſeu è cœlo delapſi, qvod vocat διοπετὲς ἄγαλμα. Vide Ravanel. in Biblioth. S. p. 740. in voce Jdolum. Templum hoc auguſtiſſimum injecto igne combuſſit Heroſtratus, eô die, qvô natus fuit Alexander Magnus, ut nominis æternitatem ſibi pararet. Sacerdotes vero exinde vaticinati ſunt magnum aliqvod malum Aſiæ alicubi natum eſſe. Plutarchus. Breviter poſt terræ motus ipſam urbem concuſſit donec ex ruderibus illam viciſſim extrueret, & Arſinoem vocaret Lyſimachus Thraciæ Regulus. Aliud ſimiliter templum non minus magnificum ab Epheſiis conſtructum fuit, refectis prioribus columnis, detractis mulieribus aureis ornamentis, multisq; opibus & publicè & privatim undiqve in unum collatis. Sed de Nerone refert Tacitus lib. 15, qvod pretioſa dona

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

& Simulachra omnia inde atqve ex Achaicis templis omnibus ſuſtulerit. A ſcythis templum hoc direptum, & maximâ ſui parte dirutum eſſe teſtis eſt Strabo lib. 14. Geograph. Tandem noviſſimo fato periit ex incendio Gothorum referente Capitolino in Gallieno. In hac urbe Epheſo cum tanto profectu Paulus Chriſto Eccleſiam plantavit (vide etiam num. IV.) ut multi Evangelio crederent, & libros ſuperſtitioſos (qvi magno pretio æſtimabantur) publicè comburerent; Act. 19. v. 19. Habuit autem Paulus hîc multos adverſarios, qvi etiam contra ipſum ſeditionem in urbe excitaverunt. Act: 19. v. 23. ſeqq. Imprimis mentio fit tumultûs à Demetrio Aurifabro excitati, ob magnum detrimentum captum in neglecto Dianæ Epheſinæ cultu, nam fecit ædes argenteas Dianæ, cujus cultus propter ingentem multitudinem ad Dominum converſam vileſcere cœpit. Interpretes hunc locum exponunt variè: Lucas Oſiander putat Demetriũ ex argento multa affabrè feciſſe, qvæ ad ornatum templi Dianæ pertinerent. Quidam putant Demetrium in nummis argenteis & aureis imagunculas templi Dianæ impreſſiſſe, & peregrinis adventantibus divendiſſe. Et hi nummi, qvorum effigiem apponit Beza in ſcholiis retinuerunt templi nomen, ut apud Græcos alii nummi, boves, teſtudines, agni, corvi, à figura impreſſâ nominabantur. Caſaubonus, & doctiores plurimi dicunt ναοὺς vocari hoc loco ædiculas ex argento vel auro factas, in qvas recondebantur parva Dianæ ſimulachra, qvæ vulgo ab aliis emebantur, qvi Dianam Epheſiam inviſebant. Et fortaſſe referebant iſtæ ædiculæ templi Epheſini artificium. Facere hîc videtur, qvod Ammianus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

anus Marcellinus lib. 22. de Aſclapiade Philoſopho meminit, qvi Deæ cæleſtis breve figmentum ſecum circumferebat. Biblia Norinbergenſia: Demetrius machte der Diana ſilberne Tempel / wie ſonſten unter den Griechen die Schaw-groſchen oder Ciſtophori, die dem Tempel der Dianæ zu Epheſo gleichförmig waren / welche die Außlendiſche Anbeter der Dianæ alß ein ſonderliches geweihetes heiligthumb / daß wieder allerhand unheil dienete / pflegten zu kaufen / und mit ſich anheimb zu bringen. Dicitur etiam Paulus Epheſi pugnâſſe cum beſtiis 1. Cor. 15. v. 32. qvod qvidam intelligunt de tumultu, qvi deſcribitur Act. 19. ubi cives converſi ſunt in beſtias, qvod ſe armarint in mutuas cœdes, qvod ne Leones qvidem facient. Piſcator intelligit de diſputationibus qvas per tres menſes habuit Paulus cum incredulis & pertinacibus. Aliis veriſimile eſt, Apoſtolum fuiſſe reverà beſtiis objectum, licet id non extet deſcriptum, in qva ſententia fuerunt Cryſoſt: Ambroſius, Cornelius à Lapide, Baldvinus, Lucas Oſiander, & alij. Citant qvidam librum ſub titulo Acta Pauli ubi illa ſint ſcripta. Verùm librum iſtum ſimiliter etiam expoſitionem, velut fabuloſa exponit Baronius Tom. 1. Annal. Ad A. C. 55. Omninò enim ſi Epheſii tale qvid tentaviſſent, Paulus ad jus civitatis provocaſſet, qvomodo fecit & evaſit, cum debebat flagellis cœdi. Act. 22. &. c. 16. Non enim licebat civem Romanum beſtiis objicere, ſed mancipiorum iſtud ſupplicium erat Digeſt. Leg. 3. ad legem Corneliam de Sicariis. Et ſi tale qvid eveniſſet Paulo, certè in ſuo martyrologio 2.Cor.11.v.23.ſeqq.poſuiſſet: tum Lucas, qvi diligentiſſimè Act: 19. commorationem Pauli in Eccleſiâ

Ephe-

Epheſinâ narrat, nunquam hiſtoriam hanc de θηριομαχία Pauli qvâ nulla inſignior eſſe potuit, præteriiſſet; neque dicit Paulus. 1. Cor. 15, v. 32. ſe objectum eſſe beſtiis, ſed pugnaſſe adverſus beſtias, quæ duo maximè differunt, qui enim pugnabant, armati in arenam prodibant, ut robore ac virtute ſuâ freti evaderent ſi poſſent: & nonnulli etiam beſtiarii vocati, ad eam rem perinde ac gladiatores inſtituebantur, & in publicis ludis cum beſtiis decertabant, ut inde gloriam roboris, agilitatis, & deniqve fortitudinis conſeqverentur: qui verò beſtiis objiciebantur nudi erant, non ut pugnarent, ſed ut laniarentur. Sed de neutris hìc loqvitur Apoſtolus, beſtiis enim non potuit objici per Romanas immunitates, ut ex antecedentibus patet: & licet objici potuiſſe demus, tamen nunquam certè eò adduci potuit, ut cum beſtiis in theatrum pugnaturus produceretur. Etenim, ſi qvid tale vel coactus admiſiſſet, quæ fuiſſet ejus deinceps apud Eccleſias auctoritas. nec credibile eſt irritaſſe feras, qui beſtiis præda eſt objectus. Sciendum igitur cum Theophylacto, Anshelmo, Baronio figuratam & metaphoricam hìc eſſe phraſin, & θήρια dici homines moribus & feritate beſtiis conſimiles, quales Demetrius & alii. Act. 19. Sic belluam Piſonem vocat Cicero. Demoſthenem Æſchines. Sic Leo ponitur 2. Tim. 4. v. 17. ubi Neronem indigitat. Sic Reges tyrannicè dominantes comparantur Leonibus, Leænis, catulisq; Leonum. Ezech. 19. apud Pſaltem hæc formula ſæpe occurrit. Vid. Friedlieb. 1. Cor. 15. v. 32. & Bezam in h. l. Quiſtorpium. Danhaw. Chriſteid. p. 881. Interpretes Belgicos. Hieron. præf. ſup. lib. 3. comment. ſuorum in epi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ſtol. ad Epheſios per beſtias has intelligit Diabolum, qvi Leo rugiens. Hæc beſtia cùm cerneret principem Aſiæ civitatem ad doctrinam Pauli de faucibus ſuis eripi, totis ſatellitum ſuorum agminibus congregatis eum opprimere nitebatur. Expoſitio hæc ferri poteſt, ſiqvidem Hieron. per Diabolum intelligit, organa illa, qvibus uſus Diabolus in oppugnando Apoſtolo: homines puta præfracti ingenii, qvibus cum Apoſtolo fuere Epheſi contentiones. Euſebius, Nicephorus & alij volunt, quòd D. Johannes Evangeliſta hic Epiſcopum egerit; Sed hoc non ſatis liqvet.

II. AUCTOR. III. AUCTORITAS. ut in antecedentibus. Eſt hæc Epiſtola mirabilis atq; profunda Evangelii commendatio, longaqve beneficiorum Dei in cauſa ſalutis noſtræ commemoratio, & cenſente Hieronymô in initio ſui commentarii, item in capite qvarto, inter omnes Pauli epiſtolas; vel maximè verbis & ſenſibus involuta eſt. Quidam perperam colligunt ex Ephes. 3. v. 13. Paulum ad Epheſios, aliam ſcripſiſſe epiſtolam, quæ perierit, nam in illo loco mẽtio fit non de alia epiſtola, ſed de ejusdem epiſtolæ capitibus prioribus & inprimis reſpicere videtur Apoſtolus v. 9. c. 1. Epiſcopo etiam Epheſino atqve adèo Eccleſiæ, qvæ erat Epheſi, ſcripſit Chriſtus epiſtolam per Johannem. Apoc. 1. v. 11. &. 2. v. 1. ſeqq. hunc autem Epiſcopum non fuiſſe Timotheum colligitur ex gravi illa reprehenſione, qvâ Chriſtus in Epiſcopum Epheſinum utitur. c. 2. v. 4. 5. Vid in epiſt. 1. ad Timoth. plura Num. I.

IV. OCCASIO. Per biennium ibi prædicaverat Evangelium. Act. 19. v. 1. 10. & eccleſiam Chriſto

colle-

collegerat magnam. 1. Cor. 16. v. 9. quam poſt diſceſſum ſuum commendaverat Timotheo diſcipulo ſuo. 1. Tim. 1. v. 3. Et quia cum lachrymis in ſignum conſtantis ſui amoris Presbyteri Epheſini dimiſiſſent Paulum, eò quod audiviſſent ſe non viſuros amplius faciem ipſius. Act. 20. v. 38. Itaq; nunc conjectus in carcerem ſumpſit ſibi hanc epiſtolam ſcribendam. 1. ut literis lactaret hunc ipſorum erga ſe amorem & deſiderium. 2. Ut brevibus complecteretur ea, ex quibus poſſent intelligere cognitionem, qvam habebat in myſterio Chriſti, ut inquit. c. 3. v. 4. 3. Ne offenderentur ipſius captivitate & miſeriis. c. 3. v. 12. 4. Ne paterentur ſe divelli ab unitate fidei c. 4. v. 3. 5. Ne paterentur ſe ſeduci verbis inanibus ψευδο-Apoſtolorum. cap. 5. v. 6. 6. Ut qvilibet diſtinctè faceret, qvæ ſui eſſent officii. Cauſa itaqve ſcriptionis impulſiva non fuere ſchismata ibidem excitata (ut apud Corinthios) nec falſa doctrina ibidem ſparſa (ut apud Galatas) ſed provida Apoſtoli cura, ne ob vincula, quæ Romæ ſuſtinebat redderentur puſillanimes, vel evangelii erubeſcerent. Hæc itaque Epiſtola eſt προτρεπτικὴ καὶ παραινετικὴ, quæ confirmat Epheſios in bono, & provocat ad perfectiora, eò qvòd nemo mortalium in terris tam ſanctus ſit, quin reddi poſſit malus; nemo tam bonus quin poſſit reddi melior.

V. TEMPUS & LOCUS. Scripta eſt Romæ, cùm eſſet in carcere. c. 3. v. 1. c. 4. v. 1. in catena c. 6. v. 20. cum ſecum haberet fidelem Diaconum Tychicum. c. 6. v. 21. per qvem etiam hæc epiſtola miſſa. v. 22. & in fine hujus epiſtolæ, A. C. 59. uti ex Baronio anno-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

tant Cornelius à Lapide, & Menochius in prolog. Comment. Plur vid. num. V. de epiſtolis Pauli in genere.

VI. SUMMA. Diſputatur multis de electione & gratia Dei, déqve hominis Chriſtiani moribus & officiis.

VII. PARTITIO. Partes duæ ſunt. Prior διδασκαλικὴ exponens ſalutis fundamentum in gratuitâ Dei electione, redemptione per Chriſtum factâ, vocatione per evangelium, juſtificatione & ſalutis donatione conſiſtens c. 1.2.3. Poſterior προτρεπτικὴ, & quidem tum γενικὴ de officio piorum in genere: tum εἰδικὴ de officio maritorum, parentum, Dominorum c. 4.5.6.

VIII. USUM oſtendit Apoſtolus cap. 3. v. 3. Se quidem ſcripſiſſe ἐν ὀλίγῳ, ſed ita tamen, ut πρὸς τοῦτο v. 4. tanqvam ad normam intelligere poſſint legentes, qvali fuerit cognitione præditus in myſterio Chriſti. Vide Chemnitium in exam. Concil. Trident.

Cap. SUMMARIUM.

I. De prædeſtinatione & Chriſto qvod ſit caput Eccleſiæ: precatur Epheſiis veræ fidei & donorum Spiritualium incrementum.

II. III. Judæorum & gentium per Chriſtum in unum conjunctio.

IV. De unitate Spiritus: donis variis piorum: vitiis multiplicibus fugiendis.

V. Avocat ab operibus tenebrarum & hortatur ad opera lucis; de mulierum & virorum conjugum officiis mutuis.

VI. De parentum & patrum-familias officio: de pugna ſpirituali & precandi ſtudio: vel panoplia ſacra.

EPI-

EPISTOLA PAULI.
AD PHILIPPENSES.

NOMEN ab iis, qvibus inſcripta eſt habet. Fuit autem Philippi urbs Macedoniæ regionis fertiliſſimæ in Europa ſitæ, cujus metropolis fuit Theſſalonica. Sita autem fuit urbs Philipporum non procul à fluvio Strymone, qui terminus olim fuit Macedoniæ unde etiam Act. 16. v. 12. prima colonia Macedoniæ appellatur, qvum alioqvi Neapolis ultra fluvium Strymonem ſita, reſpectu maris & eorum, qvi per mare in illas regiones proficiſcuntur, prima fuit. Olim fuit hæc urbs dicta Dathos, vel ut alii volunt Crenides à voce κρήνη, qvæ fontem ſignificat, in illius enim agro erant fontes non ſolùm aqvarum multi, & valde ſalubres, ſed etiam auri. Sed qvemadmodum tota Græcia, teſte Servio nomen accepit à Græco Rege, ita poſtea à diverſis Regibus & Inſtauratoribus diverſa nomina accepit. Macedonia à Macedone, Theſſalia à Theſſalo, & ſic Philippi à Philippo Alexandri Magni Patre cognominata fuit, qvi eam auxit & inſtauravit, & cum ante tempora Philippi Regis Macedonici in illa regione metalla auri admodum exigua eſſent, Philippus ea ſic auxit, ut reditus annuos ferret pluſqvam mille talenta. i. e. ſexcenta millia coronatorum. Celebris eſt hic locus ob inſignia prælia olim inter Romanos ibi commiſſa. 1. Pompejus hìc à Cæſare profligatus. 2. Brutus & Caſſius ab Auguſto Octavio & Antonio cæſi & fugati fuerunt. in quo prælio Horatius celebris Poeta cum Bruto contra Auguſtum ſtetit, & Tribunus militum fuit,

poſteà veniâ impetratâ Moecenati primum & deinde Auguſto innotuit. Vita Horatii. De eccleſiæ apud Philippenſes fundatæ initio, vid. Num. IV.

II. DE AUCTORE. III. AUCTORITATE antea egimus.

IV. OCCASIO. Occaſionem rectè annotare eſt dimidium edere commentarium: Hanc verò optimè Cramerus in Iſagoge ſua ad libros Prophet: & Apoſtol: pag. 287. annotat verbis Ægidii Hunnii, qvæ hìc ſubjicere lubet. Philippi civitas eſt in primà parte Macedoniæ ut Lucas Act. 16. ſcribit: Ejus urbis incolæ ad Evangelium ſequente occaſione converſi ſunt. Poſteaqvam Paulus & Barnabas ob exortam contentionem à ſe invicem diſceſſerant: Paulus, viſitatis per Syriam, Ciliciam, Phrygiam & Galatiam Eccleſiis, conſtituerat prædicare Evangelium in Aſiâ, ſed prohibitus eſt à Spiritu Sancto, tentabat proficiſci in Bythiniam, ſed non permiſit ei Spiritus. Act. 16. Cùm autem eſſet in Troade per viſionem apparuit ei vir Macedo, rogans illum ac dicens: trajice in Macedoniam, & ſuccurre nobis. Quâ viſione cæleſti confirmatus, futurum ut Evangelium in Macedonia magno cum fructu prædicetur Philippos venit, ibique ad flumen, loco ſacris precibus deſtinato, concionatus eſt. Ad quam concionem protinus convertitur & baptizatur Lydia purpurarum venditrix. Hanc prædicationem Evangelii mox confirmat ibi Paulus miraculô ejecti Dæmonis ex puellâ Pythoniſſâ; Hæc qvia divinando qvæſtum uberem præſtabat Dominis ſuis, accidit, ut dum à Dæmone liberata ceſſaſſet divinare puella, Domini ejus ob ablatum quæſtum ad tribunalia magi-

magiſtratuum raperent Paulum & Silam, ſuáq; accuſatione obtinerent, ut virgis cæſi Paulus & Silas in carcerem compingerentur. Quod ipſum tamen potius in emolumentum quàm damnum ceſſit doctrinæ Evangelicæ. Etenim noctu per terræ motum concuſſo carcere cunctisque oſtiis apertis, & vinculis captivorum ſolutis, cuſtos carceris exiſtimans, vinctos ſuæ fidei commiſſos evaſiſſe, ſeipſum interfecturus erat, ſed prohibitus à Paulo, & de miraculo quod acciderat edoctus, mutatâ mente ſermonem Evangelii amplexus eſt. Quanquam autem mane factô, Paulus & Silas urbe excedere juſſi ſunt, ita ut ob hunc præmaturum diſceſſum vix aliqva fundamenta viderentur eſſe poſita Eccleſiæ in urbe Philippenſium, tamen hæc initia qvam libet tenuia, felicibus in crementis egregiè procedebant, ſparſúmqve ſemen Evangelii ita fructificabat, ut qvi primi fuerant converſi, contra qvemvis impetum adverſitatum & perſecutionum immoti perſiſterent, & numerus credentium indies adaugeretur. Quoniam autem exigúo admodum temporis ſpatio fuerat converſatus cum Philippenſibus, ideo ne quid illorum eccleſia detrimentum acciperet per Doctores falſos, Paulus primis annis Imperii Neronis Romam veniens hanc ad ipſos epiſtolam exarare voluit captivus, qvemadmodum eodem tempore ad Galatas, Epheſios, Coloſſenſes, ad Timotheum, ad Philemonem epiſtolas ex vinculis dedit, nimirum, ut eccleſias ſuâ operâ plantatas & fundatas, atque inter eas hanc qvoqve celeberrimam & Philippenſium Eccleſiam in fide confirmaret. Et hæc ſanè fuit hujus ſcribendæ epiſtolæ occaſio Sic ille.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Occaſio ſpecialis ad ſcribendum fuit, qvod Philippenſes percepto infeliciſſimo Apoſtoli ſtatu in vinculis Romanis, per Epaphroditum memorabile ſubſidium ſeu pecuniarum ſeu aliarum rerum ad ſuſtentationem neceſſariarum, ipſi tranſmiſerant Romam. c. 4. v. 18.

V. TEMPUS & LOCUS. Scripta eſt, cùm ſecum haberet Timotheum. c. 1. v. 1. &: c. 2. v. 19. Epaphram ſeu Epaphroditum c. 2. v. 25. & c. 4. v. 10. conf. Coloſſ. 4. v. 12. qvem epiſtolam hanc laturum & Philippenſibus mittendum dicit. c. 2. v. 20. & 29. Romæ cum in Prætorio cauſam dixit, cujus meminit ad Philippenſes c. 1. v. 13. ubi in Cæſaris domo amicos habuit. c. 4. v. 22. in vinculis c. 1. v. 7. 13. &. 17. Anno Chriſti 60, qvi fuit ſecundus vinculorum Pauli. Vide hìc Cornelium à Lapide in comm. p. 578. Plura vid. num. V. de epiſtolis Pauli in genere.

VI. SUMMA. Ad conſtantiam & ſinceram pietatem hortatur. Notetur: Paulum in nulla epiſtola blandiùs & ſvavius agere cum ſuis auditoribus, qvàm in hac ipſa.

VII. PARTITIO. Duo habet membra: Unum eſt, quô contra ψευδο-Prophetas munit piorum animos. c. 1. 2. Alterum eſt, quô hortatur àd concordiam, & ſtudium bonorum operum. c. 3. 4.

VIII. USUS, ut in præcedentibus. Sed qværitur: Cur Paulus ſemper eadem de iisdem ſcripſerit? Ejus rei hanc reddit in hac epiſtola rationem c. 3. v. 1. cum inqvit: Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium: qvod in ſuâ lingvâ melius ſonat: οὐκ ὀκνηρόν: hoc eſt: mihi hoc non eſt grave, tædioſum, non me pudet, vel piget, nec duco id

eſſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

eſſe ſuperfluum; ſed hoc ipſum eſt vobis ἀσφαλὲς tutum, hoc eſt, quod eadem, quæ vivâ voce tradidi, ſcribo, & toties eadem de iisdem inculco, facit ad veritatem doctrinæ Apoſtolicæ certiùs in animis noſtris confirmandam contra incurſiones convellentium doctrinæ fundamenta: itaqve mox ſubjicit, videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem. Vid. Chemnit. in Exam. p. 33.

SUMMARIUM.

CAP.

I. Inconſtantiam qvorundam, & livorem malevolorum perſtringit: Vita mihi Chriſtus, mors lucrum cætera ludus.

II. Exemplô Chriſti hortatur ad modeſtiam, humilitatem, obedientiam, concordiam.

III. Contro Judaizantes diſſerit.

IV. Gaudium in Domino precatur & pro benevolentia & officiis ſibi præſtitis gratias agit.

EPISTOLA PAULI AD COLLOSSENSES.

I.

NOMEN à Coloſſenſibus habet. Coloſſæ civitas ſita fuit iu Aſia Minore, nempe in ea regione, qvæ Phrygia Pacatiana dicebatur, non procul ab Hierapoli & Laodicea, qvarum Apoſtolus etiam meminit diſertè in hac epiſtola. In hac urbe Epaphras Apoſtolorum σύνεργος prædicatione evangelii Eccleſiam collegerat. Quamvis autem Rhodii qvoqve ob celebrem ſuum Coloſſum Coloſſenſes dicti reperiantur, non tamen iſtos ſed Phrygiæ incolas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Apoſtolus hâc epiſtolâ compellat. Herodotus in Polymnia m.p. 206. Coloſſum nominat πόλιν μεγάλην Φρυγίης. Xenophon. ἀναβάσεως α. κολόσσαι, inquit πόλις Φρυγίας εὐδαίμων ϰ̀ μεγάλη. Oroſius teſtatur prædictas haſce urbes ſimul omnes horrendo quodam terræ motu ſub imperio Neronis concidiſſe. Unde apparet eccleſias iſtas non diu poſt ſcriptam hanc epiſtolam floruiſſe, quod divini judicii ſpeculum ſemper nobis ob oculos verſetur. Qvanqvam ex Apoc. 3. non obſcurè colligi poteſt, ſaltem reliquias & qvaſi rudera qvædam iſtarum Eccleſiarum deinde etiam permanſiſſe, nec ipſas ſupra dictô caſu penitus interiiſſe; ſiquidem communi veterum conſenſu conſtat Apocalypſin illam, qvæ nominatim ad ſeptem Aſiæ minoris eccleſias deſtinata fuit, ſatis diu poſt exceſſum Neronis à Johanne conſcriptam fuiſſe. In Coloſſenſibus convertendis uſus eſt Deus operâ Epaphræ. vid. num. IV. Theodoreto exiſtimanti D. Paulum tum Coloſſenſibus tum Laodicenſibus coràm Evangelium annunciâſſe, ob verborum diverſum ſvadentium claritatem. Coloſſ. 2. v. 1. non poſſumus ſubſcribere.

II. De AUCTORE. III. AUCTORITATE vide præcedentia.

IV. OCCASIO. 1. Quia Epaphras converterat Coloſſenſes ad evangelium, qui Apoſtolus propriè loquendo, non erat, itaqve neceſſarium fuit hâc epiſtolâ, auctoritatem Epaphræ ὁμοψηφίᾳ Paulinâ confirmari. Et quia id ipſum præſens vivâ voce præſtare non poterat, officio ſuo in ſcriptis voluit hâc in parte ſatisfacere. 2. Neceſſarium id non tantùm erat Epaphræ nomine, ſed ſummoperè intererat etiam ipſis

Co-

Coloſſenſibus, indubitatò ſcire, verbum ab Epaphra prædicatum non dogma aliqvod adulterinum, ſed ipſiſſimam eſſe evangelii vocem perſonantem in toto mundo; ideo etiam nominat verbum Chriſti. cap. 2. v. 6. 7. 3. Impugnati erant Coloſſenſes à falſis Doctoribus, quorum qvidam qvi ex Judaismo venerant Moſen cum Chriſto confundebant, ac ceremonias legis ad ſalutem neceſſarias eſſe contendebant: qvidam qvi ex gentiliſmo ad fidem Chriſtianam converſi erant, humanas conſtitutiones ex Philoſophorum doctrina urgebant. Paulus itaqve rogatu Epaphræ ad eos hanc epiſtolam ex captivitate Romanâ ſcripſit, ut eos in veritate fidei confirmaret, & contra falſos Doctores præmuniret. Fr. Roijard. Minorit. Epiſt. Dominic. Trinit. 24. dicit hanc eſſe cauſam ſcriptionis epiſtolæ; qvod ob ſuſceptum pravum dogma Coloſſenſes putarint neqvaqvam per filium, ſed per Angelos ad Deum & Patrem ſibi viam patere, abſurdum exiſtimantes Dei filium in ultimis ſeculis adventurum, præſertim cum in V. T. Angelorum miniſterio cuncta gererentur.

V. TEMPUS & LOCUS. Scripta eſt Romæ ex vinculis, ut patet ex cap. 1. v. 24. c. 4. v. 3. & 18. poſtqvam Timotheum ex Epheſina eccleſia Romam evocâſſet. c. 1. v. 1. item ſecum haberet Tychicum. c. 4. v. 7. & Oneſimum v. 9. Ariſtarchum atqve Marcum v. 10. & Jeſum cognomento Juſtum v. 11. & Epaphram. v. 12. & Lucam atqve Demam. v. 14. Beza in epiſtolam ad Philippenſes p. 384. teſtatur in codice claromontano Epiſtolam ad Coloſſenſes ordine præcedere illam ad

Philippenſes. Plura vide num. V. de epiſtolis Pauli in genere.

VI. SUMMA. Inſectatur 1 Eſſenos & Simonianos qvi Angelos colendos, & legem Moſis ceremonialem eſſe ſervandam contendebant. 2. Vitæ ac morum regulas tradit tum generales omnibus Chriſtianis communes, tum ſpeciales certis ordinibus proprias ſc. uxóribus & maritis, liberis & parentibus, ſervis & Dominis. Eſt ferè ejusdem argumenti cum epiſtola ad Epheſios.

VII. PARTITIO. Habet duas partes. Una eſt de fide, cap. 1. &. 2. Altera de ſtudio morum. cap. 3 4.

VIII. USUS. Quia ſemper eadem eſt eccleſiæ ratio, mutatis duntaxat perſonis, déqve ſimilibus idem eſt judicium, concludimus rectè nobis & omnibus hominibus omnium temporum, qvi Pauli vivam vocem non audivimus, & faciem in carne non vidimus (uti nec Laodicenſes nec Coloſſenſes) hanc epiſtolam perinde ac illis propriam eſſe. Quod concludi poteſt ex cap. 4. v. 16.

Cap. SUMMARIUM.

I. Perſona & officium Chriſti ejusqve beneficia.

II. Philoſophiam deceptricem, obſervationem ceremoniarum, cultum Angelorum cavere jubet.

III. Invitatio ad vitam ſinceram: Officia conjugum, ſervorum, Dominorum deſcribit.

IV. Orandum & vigilandum; cum ſalutatione claudit.

EPISTOLA PAULI PRIOR AD THESSALONICENSES.

I No-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

I.

NOMEN à Theſſalonicenſibus habet. Theſſalonica olim Halia, ad fauces Thermæi ſinus è regione Apolloniæ in altera ripa Achedori, metropolis fuit totius Macedoniæ & liberæ conditionis: teſte Plinio lib. 4. nat. hiſt. c. 10. qvæ etiam hodie aliqva ex parte ſuperſtes eſt, & mercimoniis Judæorum, Græcorum, Saracenorum nobilis. Græcorum imperio primum, tum Deſpotarum Bulgariæ, abinde Venetorum paruit, donec Turcæ occuparent à quibus Salonich dicitur. Eam Philippus Rex Macedonum poſt ſubjugatam Theſſaliam extruxiſſe dicitur, eiqve nomen ab hac ipſa victoria, impoſuiſſe. Theſſalia verò denominata eſt à Theſſalo filio Pelaſgi, qui regnum ibi inſtituit, Euſebius. Plura vide apud Svidam itemqve Plinium lib. 4. natur. hiſtoriæ cap. 10. Munſterum, Buntingium in itinerario, & alios. Mulieres Theſſalas inſignes fuiſſe veneficas, qvæ ſolem Lunámqve abolere putabantur: probat Natal. Com. Mytholog. p. m. 252. ex carminibus Soſiphanis in Meleagro. Quævis puella Theſſalorum carmine, ut ferunt, abolet. ſed illa vana fama, qvod labatur alto Luna puro ex æthere: item Ariſtophanis verſibus in nebulis. Veneficam ſi fœminam ipſe Theſſalam coëmero, captabo Lunam noctibus. Hanc ſuperſtitionem in Theſſalos à Medea profectam, qvidam exiſtimant, qvæ cùm illac fugeret, per aërem vecta, ſcriniolum veneficiis & magicis herbis plenum dejecerit, eáqve ſparſa ſuppullulaſſe. Plin. lib. 30. c. 1. docet Magiam ad Theſſalos usqve propagatam diu ab ea gente cognomen obtinuiſſe: Audiebant etiam olim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Theſſali ſtrenui gurgites & inſigniter edaces, unde illud Antiphanis Comici. ἀεὶ γὰρ ὀξύπεινος ἐςὶ. θετταλὸν λέγεις: id eſt, uſqve eſurit, nunqvam ſatur. Tu Theſſalum depingis. In menſis inſtruendis valde operoſi fuerunt, unde Theſſalus miſſus. Illuſtres habiti ſunt inter Græcos, tum eqveſtri facultate, tum etiam divitiis. De eccleſiæ Theſſalonicenſis origine vide Act: 17. v. 12. vide etiam num. IV in hac epiſtola.

II. DE AUCTORE. III. AUCTORITATE egimus in præcedentibus.

IV. OCCASIO. De occaſione ſcribendi hanc epiſtolam, is demum rectè judicare poteſt, qvi hiſtoriam 17. cap. Actorum Apoſtolorum, cum ipſa hac epiſtola diligenter contulerit. Illic enim narratur in ſumma Apoſtolum Paulum & Silam unà cum aliis qvibusdam peregrinis ſociis Theſſalonicam appuliſſe, ibiqve per tria Sabbatha in Synagoga Judæorum de Chriſto diſſeruiſſe; unde multi ex Judæis ſimul & gentibus ad fidem Chriſtianam converſi ſunt, & ſpeciatim complures honeſtiſſimæ Matronæ. Sed Judæi qvidam intempeſtivi plebe concitatâ irruebant in domum Jaſonis, Paulum & Silam qværentes, qvos cum non inveniſſent, hoſpitem & alios pios viros ad Magiſtratum rapiebant, eos ſeditionis incuſantes, qvod alium Regem qvàm Cæſarem, nempe Ieſum Chriſtum agnoſcerent. Sed ne Paulus & Silas in furioſorum manus inciderent, fratres eos noctu miſerunt ad vicinum oppidum Beræam, ubi cùm & feliciter prædicarent, exturbati ſunt à Judæis, ut Paulus, qvi inprimis petebatur Athenas ſe conferre cogeretur. Act. 17. & ibi de ſtatu Theſſalonicenſium certior factus, eccleſiam ſc.

recens

recens plantatam in ſummo verſari periculo ob perſecutionum metum, miſit ad eam Timotheum c. 3. v. 2. Is perſpiciens Theſſalonicenſes nihilominus in fide eſſe conſtantes, in adverſitatibus patientes, rem omnem ad Apoſtolum detulit, qvi in hac epiſtola propterea eos laudat, & ſuam pro illis fidelitatem, curam & ſolicitudinem teſtatur. Poſtea hortatur eos ad ſanctam vitæ converſationem, dilectionem, & luctus propter mortuos moderationem, qvâ occaſione de mortuorum reſurrectione & extremo judicio diſſerit. Præcipuus ergo ſcopus eſt 1. confirmatio in veritate agnita. 2. impletio eorum, qvæ fidei Theſſalonicenſium adhuc deerant. 1. Theſſ. 4. 10.

V. TEMPUS & LOCUS. Eſt hæc epiſtola ferè prima inter ſcripta apoſtolica N. T. Nihil enim adhuc ab Evangeliſtis & Apoſtolis ſcriptum erat, præter epiſtolam Synodicam, qvam Apoſtoli Hieroſolymis congregati, ad gentes emiſerant. Act. 15. v. 23. Subſcriptio docet Athenis ſcriptam eſſe. Sed characteres monſtrant Corinthi ſcriptam. Nam (1) ſcripta eſt congregatis Paulo, Sylvano ſive Sila, & Timotheo, 1. Thaſſ. 1. v. 1. (2) Theſſalonicenſium eccleſiâ jam celebri per Macedoniam & Achaiam. 1. Theſſ. 1. v. 7. &. 8. (3) poſt expulſionem Pauli Philippis. 1. Theſſ. 2. v. 2. (4) Poſtqvam aliqvamdiu manuarium opificium apud ipſos Theſſalonicenſes exercuerat. 1. Theſſ. 2. v. 9. (5) poſtqvam Divus Paulus à Judæis Theſſalonicâ ejectus erat 1. Theſſ. 2. v. 14. 15. 16. (6) Poſt miſſionem Timothei Athenis ad Theſſalonicenſes confirmandos. 1. Theſſ. 3. v. 6. Atqvi congregatio illa facta eſt Corinthi Act. 18. v. 5. poſtqvam jam Theſſalonicæ

do-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

doctrina Chriſti fuit audita. conf. Act: 17. v. 1. poſtqvam etiam Paulus prius è Philippis fuit expulſus, Act. 16. v. 13. & ſeqq. poſtqvam manuarium opificium exercuit apud Aqvilam. Act. 18. v. 13. poſtqvam à Judæis fuit Theſſalonicâ, expulſus. Act: 17. v. 5. poſt miſſionem Timothei ad Theſſalonicenſes, Act: 17. v. 14. Ergo non fuit ſcripta Athenis, uti habet ſubſcriptio. In nonullis codicibus legitur, qvod per Timotheum & Silam miſſa fuerit, ſed falſo, cùm Pauli Timothei, & Silæ nomine ſcripta ſit. Baronius etiam cenſet, qvod ſit Corintho ſcripta. A. C. 52. & eandem ſententiam fovet Beza, cujus verba ſubjiciam. Neqve apud Syrum interpretem, neque in Claromontano codice ſit Athenarum mentio, vel alterius loci, ſed ſcribitur ſimpliciter ἐπληρώθη πρὸς Θεσσαλονικεῖς πρώτη. Hæc antem extrema paſſim addita eſſe ex Græcorum aliqvorum interpretum ſententia, non autem ab ipſo Paulo, vel ex eo liqvet, qvod magna ſit in plerisqve diverſitas, ut de iſtis minimè ſit nefas ambigere. Hanc igitur epiſtolam cur Corintho, non autem Athenis miſſam eſſe putem, hoc habeo argumentum, quod in ſecundo capite meminerit Timothei à quo ſuſtinuerit ſolus relinqvi Athenis, qvum eum ad Theſſalonicenſes mitteret. Itaqve Silas tum non redierat ad Paulum. Subjicit deinde Timotheum ad ſe iterum rediiſſe, ex qvo intellexiſſet, qvæ Theſſalonicenſium eſſet conſtantia. Liqvet autem ex actis Apoſtolorum, qvum Paulus digreſſus Athenis ubi ſubſtiterat, Silam & Timotheum exſpectans, Corinthum veniſſet, & aliqvandiu illic eſſet verſatus, tum demum illos ad eum rediiſſe: quorum etiam adventu ſit magnoperè confirmatus.

tus. Act. cap. 17. v. 14. & 16. Itaqve Silvanꝰ ille ipſe eſt, qvem Lucas Silam vocat: qvumq; illi Corinthum veniſſent, & Timotheus Paulo, à qvo Athenis rurſum (qvod Lucas præterit) Theſſalonicam miſſus fuerat, Eccleſiæ Theſſalonicenſium ſtatum renuntiâſſet, hæc epiſtola ad illos communi ipſorum trium nomine Corintho miſſa fuit. Silam autem, qvi & Silvanus, apparet ex Apoſtolorum actis, Berrhææ relictum cum Timotheo, tãtiſper illic manſiſſe dũ Timotheꝰ Athenas, & rurſꝰ Athenis Theſſalonicã regreſſus, ipſũ tandẽ in reditu aſſumeret, ut unà Corinthũ venirent. Hactenꝰ Beza. Vide etiã Piſcatorẽ in hujus epiſtolæ cap. 1. v. 2. qvi inter alia inqvit: Falſa eſt annotatio huic epiſtolæ ſubjecta, qvod hæc epiſtola Athenis ſcripta fuerit: qvæ ſentẽtia videtur nata fuiſſe ex loco hujus epiſtolæ non intellecto, nẽpe c. 3. v. 1. & 2. ubi ait Paulus, ſe ſuſtinuiſſe ſolum relinqvi Athenis & Timotheum ad Theſſalonicenſes miſiſſe: qvæ verba iſtius annotationis Auctor ſic accepit, qvaſi Paulus Timotheum cum hac epiſtolâ ad Theſſalonicenſes miſerit, & proinde qvaſi loqvitur de miſſione præſenti, non autem præteritâ. Sed huic expoſitioni repugnat, qvod hæc epiſtola ipſius qvoqve Timothei nomine ſcripta eſt: non igitur per ipſum miſſa. Plura vide num. V. de epiſtolis Pauli in genere.

VI. SUMMA ſeu Scopus Apoſtoli principalis eſt, partim illos ad perſeverantiam in fide Chriſtiana excitare, partim ad vitam verè ſanctam & profeſſione noſtrâ dignam eosdem exhortari.

VII. PARTITIO. Habet duas partes, una eſt ἐπαινετικὴ de laude conſtantiæ. cap. 1. 2. 3. Altera παραινετικὴ de ſtudio bonorum morum & operum. c. 4. 5.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

VIII. USUS. Nobis etiam ſcripta eſt hæc epiſtola: Epiſtolæ enim Apoſtolicæ non ad unam tantùm ſed ad omnes Chriſti ecclesias ſpectant. Coloſſ. 4. v. 16.

Cap. SUMMARIUM.

I. Theſſalonicenſes ab idolis ad Chriſtum converſi reliqvis ad exemplum facti ſunt.

II. Paulus docens neqve lucrum, neque gloriam qvæſivit: Theſſalonicenſes perſecutiones infractô an imô à ſuis tulerunt. Vel ſpeculum boni Paſtoris & Auditoris.

III. Aperit deſiderium ſuum videndi eos: Hortatur ut in bono magis & magis confirmentur.

Perfer perpetienda, parit patientia palmam.

IV. Hortatio ad vitæ ſanctitatem: ſeries reſurrectionis noſtræ graphicè depingitur.

V. Vigilandum nam Domini adventus incertus eſt.

EPISTOLA II. PAULI
AD THESSALONICENSES.

I.

NOMEN. II. AUCTOR. III. AUCTORITAS. Ut in antecedentibus.

IV. OCCASIO. 1. Quod in prioris epiſtolæ cap. 4. & 5. de repentino Chriſti adventu Apoſtolus ſcripſerat, id qvidam ex Theſſalonicenſibus eô ſenſu accipiebant, ac ſi jam inſtaret 2. Theſſ. 2. v. 2. ideò Apoſtolus huic falſæ opinioni in hac poſteriori epiſtola occurrere voluit, & declarare ſigna diem domini anteceſſura, ut ſunt revelatio Anti-Chriſti: meminit etiam τῶν ἀτάκτων, per qvos intelligit eos imprimis, qvi opinione inſtantis noviſſimi diei, otioſi circum vagaban-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

bantur, & cum non ipſi laboribus ſuis victum acqvirerent, publicis eccleſiæ ſumptibus alebantur, & ſic pauperum eleemoſynas ad ſe rapiebant, qvos in ordinem cogendos eſſe docet 2. Theſſ 3. v. 11. II. Cùm viderit Diabolus eccleſiam unicè niti verbo, & plurimum tribuere doctrinæ Apoſtolicæ, excitabat Phanaticos, qvi ſuos ſpiritus jactitabant, qvos vendebant populo, ſub prætextu traditionum Apoſtolicarum, qvaſi eadem aliter ex ore Apoſtolorum tradita hauſiſſent, imitabantur etiam ſtylum Apoſtolorum: & ſupponebant falſas literas, qvâſi ab Apoſtolis ſcriptas. Ne igitur Theſſalonicenſes paterentur ſe ſub hiſce dogmatibus ſuppoſitis ſeduci præmonendos eos duxit Apoſtolus de his impoſturis, quò ſibi probè attenderent, & diſcerent ex peculiari ſigno & charactere, qvo ſuas epiſtolas notare ſolitus erat, genuina & authentica ſua ſcripta à ſuppoſititiis diſcernere. c. 3. v. 17. Vide de his Chemnit. Exam. Concil. Trid. p. 25.

Tertullianus auctor eſt libr. de præſcriptione adverſus hæreticos; authenticas Apoſtolorum epiſtolas, hoc eſt, autographa, in illis eccleſiis, qvibus inſcripta erant, ſuô adhuc tempore ſervatas fuiſſe.

V. TEMPUS & LOCUS. Eſt hæc epiſtola in ordine epiſtolarum ſecunda, paulo poſt priorem exarata. Baronius vult ſcriptam eſſe Corintho. A. C. 53. Idem vult Beza in notis. pag. 439. Subſcriptio Græca, & Syriaca Athenis exaratam teſtatur. Sed hoc verum eſſe neqvit: nam Apoſtolus Athenis fuit, ante aditam Corinthum. Act: 17. v. 16. Corinthum autem demum venit Act. 18. v. 1. ſeqq. Hæc autem epiſtola poſt Athenas relictas congregato rurſùs cum Sila & Ti-

motheo, Paulo, qvos Theſſalonicæ reliqverat Act. 17. v. 14. ſcripta eſt, qvæ congregatio alia qvàm hæc Corinthiaca eſſe neqvit. Act. 18. v. 5. Argumentum Græcis exemplaribus præfixum docet Romæ ſcriptam eſſe, qvod abſurdum, vide Bezam loc. d. Plura vide num. V. de Epiſtolis Pauli in genere.

VI. SUMMA, Hortatur ad perſeverantiam: docet qvid de Anti-Chriſto & judicio extremo ſtatuendum.

VII. PARTITIO. Eſt tripartita: Una pars ἐπαινετικὴ agit de fide & dilectione. Altera ἐπανορθωτικὴ de Anti-Chriſto cap. 2. Tertia παιδευτικὴ de precibus & laboribus. cap. 3.

VIII. USUS, ut in antecedentibus.

Cap. SUMMARIUM.

I. Laudat fidem & conſtantiam Theſſalonicenſium, & perſecutoribus minatur poenas judicii extremi.

II. Anti-Chriſti ante diem Chriſti revelandi conditio.

III. Rogat ut pro ſe orent: otioſi & curioſi vitandi.

EPISTOLA PAULI PRIOR AD TIMOTHEUM.

I.

NOMEN Timotheus natus eſt màtre *Judæa* Eunice, filia Loidis, qvæ ad Chriſtum erat converſa, patre verò Græco in Lyaconiæ urbe Lyſtra. Act. 16. v. 1. 2. Tim. 1. v. 5. comes itinerum Pauli: Act. 16. v. 1. 2. 3. Cœlebs per omnem vitam fuit, ſi fides Ignatio. Huic Paulus fidelitatis eximium defert elogium, ad Phil. 2. v. 20. nam præ cœteris ad ſimilitu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

litudinem Pauli, in fide, confeſſione, & vita, quam proximè accedebat. Propter Judæos fuit circumciſus. Act. 16. v. 2.3. Filium ſuum ipſum appellat Paulus. Quia 1. in fide Chriſtiana ipſum inſtituerat. 2. Quia paterno amore ipſum complectebatur. 3. Quia Timotheus viciſſim erga ipſum tanqvam parentem ſuum affectus erat. Nonnulli putant ipſum eſſe Angelum iſtum cum qvo Chriſtus expoſtulat. Apoc. 2. v. 4. Sed (1) valdè laudatur Timotheus in epiſtolis Pauli, ideóqve non eſt veriſimile, illum tantæ cenſuræ ſubjacuiſſe, vitâ in deterius traductâ. 2. ex Chronologia patet Timotheum priusquam in Pathmum relegaretur Johannes, martyriô coronatum fuiſſe. Quis verò tunc temporis Eccleſiæ Epheſinæ præfuerit, ex hiſtoriis certò haberi non poteſt: qvamobrem Jeſuitarum altercationes in medio relinqvimus. Nicephorus lib. Hiſt. 2. c. 22. Timotheum cum Apoſtolis morienti virgini Deiparæ adfuiſſe teſtatur. Petilianus Donatiſta olim hunc Timotheum pro Laico habuit, referente Auguſt. lib. 3. contr. Petilian. cap. 106. Sed conſtat ex utraqve Pauli epiſtolâ ad illum ſcriptâ, qvod fuerit eccleſiæ Epheſinæ Epiſcopus à Paulo conſtitutus, adeóqve inſigne Orientalis eccleſiæ lumen. Idem teſtantur Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccles. c. 4. & Sophronius apud Hieronymum in Catalogo. Huic Epiſcopali officio per annos qvindecim (ſecundum alios per annos 40) magna cum laude & fruge præfuit. Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccles. c. 4. lib. 11. cap. 20. ſcribit Timotheum hunc fuiſſe Petri ſucceſſorem Alexandriæ. Ignatius Epiſt. 3. Timotheum ob Chriſtum variis in locis annunciatum Chriſtophorum vocat. De

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

mortis genere ferunt, qvod cùm in feſto Dianæ ſacro cultus Idololatricos acerbius taxaret lapidibus obrutus expiraverit ſub Nerone Imperatore.

II, DE AUCTORE antea egimus.

III. AUCTORITAS. Hæretici illi, qvi olim omnes Pauli Epiſtolas vel omninò rejecerunt, vel certè corruperunt, de qvibus Euſebius lib 3.c.27. Hiſt. Eccles. & Niceph: lib. 4. c. 4. etiam hanc epiſtolam repudiarunt. Marcion in ea hæreſi fuit, ut duas ad Timotheum epiſtolas, itemqve duas alias, nempe ad Titum unam & ad Hebræos alteram, tanqvam Apoſtolo indignas rejecerit. Sed canonica hujus epiſtolæ auctoritas probatur, ut in præcedentibus.

IV. OCCASIO. Apoſtolus Epheſo diſcedens, Timotheum illi civitati Epiſcopum præfecerat, demandatâ ei curâ ut adverſus Iudaizantes alióſqve Evangelicæ doctrinæ corruptores, qvi partim jam exorti erant, partim exorituri ab ipſo prævidebantur ſedulò vigilaret. Eum ergo Apoſtolꝰ inſtituit, non ut Chriſtianũ qvẽlibet, ſed ut Chriſtianæ plebis Epiſcopũ.

V. TEMPUS & LOCUS. Athanaſius in ſynopſi & Theodoret. præfat. in epiſt. Pauli. Epiſtolam hanc vel Philippis, vel ex alia Macedoniæ urbe ſcriptam eſſe aſſerunt, qvam ſententiam probat Baronius, Tom. 1. Annal. anno Chriſti 57. item Beza annot in hanc epiſtolam p. 464. confirmant eam ex verbis Apoſtoli. cap. 1 v. 3. Beza etiam meminit ſe vidiſſe codicem in qvo legatur ἐγράφη ἀπὸ Μακεδονίας. Sed refragatur annexa ſubſcriptio ut & Syrus. Ex ſubſcriptione patet, qvod ſcripta ſit Laodiceæ, qvæ eſt metropolis Phrygiæ Pacatianæ. Duplex enim conſtituitur Laodicea una in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Syria vinetis celebris, aliàs Carica dicta, altera verò in Galatia ſeu Phrygia, ex illa epiſtolam hanc miſſam eſſe putant. At Beza hanc ſententiam dicto loco rejicit, qvia nusqvam hoc epitheton Pacatian. apud illius ætatis ſcriptores legitur, ſed apud recentiores illos, qvi Romani imperii jam inclinantis provincias deſcripſerunt. Eſtius opponit qvod Apoſtolus Col. 2. v. 1. aſſerat ſe Laodicenſibus viſum non fuiſſe, qvam epiſtolam longè poſt ſcriptam eſſe exiſtimat. Sed Gerhardus reſpondet nondum certò demonſtratum epiſtolam ad Coloſſenſes longe poſt hanc priorem ad Timotheum eſſe ſcriptam. Qui in Macedonia hanc epiſtolam ſcriptam ſtatuunt, exiſtimant eam eſſe ſcriptam poſteaqvam *Paulus* Epheſo relictâ profectus eſſet in Macedoniam. Act: 20. v. 1. id qvod ex verbis hujus epiſtolæ initialibus ſe poſſe colligere autumant. cap. 1. v. 3. Sed hypotheſin illam eſſe certam & argumentum pro ea adductum infirmum ſtatuit Gerhard. in hanc epiſt. p. 5. Chemnit in Exam. Concil. Trident. p. 27. ſtatuit hanc priorem ad Timothenm poſt ambas ad Theſſalonicenſes ſcriptam eſſe ſive ex Macedoniâ ſive ex Phrygiâ. Nos in dubiis hiſce nihil ad auctoritatem epiſtolæ facientibus, nihil certi affirmamus. Vid. num. V. de epiſt. Pauli in genere.

VI. SUMMA. Paulus diſcedens Epheſo reliqvit Timotheum ut eccleſias curaret, qvem hâc epiſtolâ inſtituit de illis, qvæ docere & agere debebat, ubi multa alia tradit ad Eccleſiaſticorum & Laicorum mores formandos pertinentia, eſt itaqve tota hæc epiſtola διδασκαλική.

VII. PARTITIO. Eſt tripartita. Prima pars abſolvi-

ſolvitur variis exhortationibus cap. 1. 2. 3. Secunda conſtat vaticinio de falſis & ſuperſtitioſis doctoribus. Tertia tradit præcepta eccleſiaſtica, civilia & domeſtica.

VIII. USUS. Depingit nobis Apoſtolus imaginem Germani & veri Chriſtiani Epiſcopi: ut omnes ſacri miniſterii Candidati intelligant, qvibus dotibus inſtructos oporteat ad tam arduam functionem accedere, qvibusqve officiis deceat munus delegatum obire. Elucet hìc ſingularis qvædam Apoſtoli induſtria & ſolicitudo, qvippe collegas & filios ſuos ſubinde ſtudioſè obſecrat, imô obteſtatur, & per omnia ſacra adjurat: nunc blandis promiſſionibus allicit: nunc minaciter territat: nunc ſuo nunc Chriſti exemplo provocat: ut modis omnibus teſtatum faciat, qvàm ſit ardua res, inculpatum agere Epiſcopum, qvantáqve pernicies humanæ vitæ ſit, parum ſincerus Dominici gregis cuſtos, deniqve qvantopere nobis hoc tempore in Eccleſiæ miniſterio advigilandum ſit, qvi tam longe ab ætate & puritate Apoſtolorum abſumus, tanqvam multis undiqve tentationibus expoſiti: præſertim cum audiamus Apoſtolum in iis ritè formandis inqve officio continendis adèo ſolicitum fuiſſe, qvos ipſe ſuis manibus ordinaverat, & qvorum fidem atqve integritatem multis modis exploratam habebat. Vid. Cram. Iſagog.

Coſmas Magalianus Jeſ. ſtatuit epiſtolam hanc propter Simonis ſcholam ab Apoſtolo ſcriptam eſſe cujus pernitioſum dogma fuit, Angelos neceſſariò colendos tanqvam Mediatores, ſine qvibus orationes noſtræ ad Dei aures pervenire non poſſunt. Sententiæ

tiæ ſuæ fundamentum ex cap. 2. deſumit, ubi dicitur: Unus Mediator Deus & hominum, homo Chriſtus Jeſus. Putat Paulum his verbis errorem Simonis oppugnare. Sed rectius dicitur, qvod principalis Apoſtoli ſcopus ſit ſub Timothei perſona, qvemvis fidelem Eccleſiæ Doctorem inſtruere, qvomodo ſe in officio ſuo gerere debeat. Probè hìc notandum. 1. Apoſtolum qvidem crebro mentionem injicere bonorum operum, nullibi autem operibus juſtificationem tribuere. 2. Apoſtolum in hâc epiſtolâ Chriſtianorum mores informare: qvod benè notandum contra Magalianum, qvi monet Apoſtolum in hac epiſtola docere fidem operibus jungendam eſſe. ℞. Aliud eſt fidem ab operibus ſeparare, aliud fidei, non operibus juſtificationem tribuere. Poſterius noſtrum eſt dogma, prius Magaliani calumnia. Addit ſe mirari Lutherum cum ſuis non eraſiſſe è ſacro canone hanc Pauli epiſtolam. At nullâ eraſione opus, cùm hoc Apoſtolicum dogma noſtræ de juſtificatione doctrinæ nulla ex parte adverſetur.

Cap. SUMMARIUM.

I. Summa Legis & Evangelii.

II. De precatione, de mulierum veſtitu, & modeſtia in ſacro cœtu.

III. Munia & virtutes Epiſcoporum, Diaconorum, Diaconiſſarum.

IV. De conjugio, ciborum delectu, pietate & ſcripturæ lectione.

V. Præcepta Eccleſiaſtica Timotheo præſcripta.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

VI. Officium boni ſervi : pietas ſuâ ſorte contenta: auaritia radix malorum.

EPISTOLA II. PAULI AD TIMOTHEUM.

I.

NOMEN. II. AUCTOR. III. AUCTORITAS. Ut in antecedenti. Sed qvia Apoſtolus in hac epiſtola cap. 3. v. 8. mentionem facit Jannis & Iambris (ut doceat mirandum non eſſe, ſi adhuc hodie veri doctores experiantur acres veritatis hoſtes, cum & Moſes & Prophetæ jam olim ſuos paſſi fuerint adverſarios) qværitur, qvinã illi fuerint? ℞. Probabile eſt, hos duos fuiſſe Impoſtores, ſeu Magos Ægyptios & præcipuos inter adverſarios Moſis, atqve adeò Principes Magorum Ægyptiorum. Mornæus lib. de verit rel. Chriſt. c. 26. ex Numenio Apameo Philoſopho Pythagoræo è Syria oriundo refert, Moſen cum Janne & Mambre Magis ipſum imitari conatis, miraculis certaſſe. (Locus Numenii extat lib. 3. περὶ τἀγαθȣ̃, cujus verba recenſet Euſebius lib. 9. de præparat. Evang. c. 8. f. 241.) In Thalmud in Sanhedrin ſic legitur : Juhani & Mamre Principes Magorum Pharaonis dixerunt ad Moſen. Stramen tu importas in Aphraiim. (Tu ſimilis es importanti ſtramen in Aphraiim, qvæ erat urbs fertilis frumento abundans, & inde ſtramen in multos locos divendebatur. q. d. aqvam in Nilum portas, qvia Ægyptus Magis abundat) Cryſoſt. hom. 1. in 2. Tim. 3. Quinam ſunt Jannes & Jamres? Magi qvi vixerunt temporibus Moſis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Plinius l. 30. c. 1. non valde diſsimilia nomina refert, ſed perperam factioni eorum Moſen ipſum immiſcet: Eſt & alia, inqvit, Magices factio à Moyſe & Jamne & Jotape pendens, ſed multis millibus annorum poſt Zoroaſtrem. Notandum autem eſt: Vulgatam pro Jambres habere Mambres, qvemadmodum etiam legitur tum apud Thalmudiſtas, tum apud Numenium. Sed qvidam eò audaciæ progrediuntur, ut ſcribant Ιαμβρῆς in Hebræo corruptè legi, ac Hieronymũ fortaſſis à Judæo qvodam edoctum mutâſſe in Mambres. Reſp. 1. in nominibus propriis, ſi in aliam lingvam transferantur, variæ mútationes occurrunt. 2. Hieronymus in Hebraicorum nominum interpretatione utrumqve exponit Jambres & Mambres, & qvidem eodem modo, qvaſi inter hæc nomina nihil intereſſet. 3. Chryſoſtomus. hom. 8. in 2. Tim. 3. Græc: legit Jannes & Iambres. Syrus habet, ינים וינברס Janis & Janbaris. Palladius in Macarii vita ex libro Apocrypho, qvi vocatur, Pænitentia Iamnis & Mambris, refert, Jannem & Mamrem fuiſſe fratres, propter magicæ artis excellentiam, maximam apud Pharaonem & Ægyptios tunc temporis habentes auctoritatem & poteſtatem, qvi dum vivi eſſent, inter qvandam Ægypti ſolitudinem in hortis qvibusdam ſepulchrum ſibi conſtruxerunt ex lapidibus qvatuor pedum magnitudine, multúmqve auri illuc condiderunt, & omnis generis arbores plantaverunt, & maximum aqvæ puteum foderunt, ſperantes, fore ut poſt ſuum obitum in illo Paradiſo delitiis fruerentur. &c. ad qvod ſepulchrum videndum S. Macarius Alexandrinus itinere longiſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ſimo ac difficillimo Dæmonibus invitis aliqvando acceſſerit. Hæc ille qvæ fabulas ſapiunt. Confer Camerarium. Centur. 3. horar. ſubſeciv, c. 9.

Aretius in comm. h. l. exiſtimat potiùs Judæos rebelles, qvàm Magos Ægyptios ſub nominibus Jannis & Iambris eſſe intelligendos, qvales fuere Dathan & Abiran, cùm hìc ſermo ſit de hoſtibus domeſticis, & hypocritis, qvi Chriſtiani & eſſe & haberi volebant, imo Doctores inter Chriſtianos haberi. Magi autem, qvamqvam ſe oppoſuerunt Moſi, fecerunt tamen id, tanqvam aperti hoſtes & religionis profeſſione & genere vitæ ac ſtudiorum ab eo diſſidentes.

Quæritur porrò. unde Paulus nomina horum Magorum acceperit? ℞. 1. Quidam putant Paulum legiſſe Targum Ionathæ Ben-Uzielis in qvo ſuper Exod. 7. v. 11. hæc nomina expreſſa reperiuntur. Vide Schikhardum in præfat. Bechinat Happeruſchim. Sed alii ſtatuunt Ionathanis Targum, qvod hoc nomine vulgò ſe offert, recentius eſſe, qvàm ut à Paulo legi potuerit, tam ſtyli, qvam rerum ipſarum conſideratione ducti Vide Philol. S. Glaſſii lib. 5. tract. 2. c. 7. p. 594. 2. vel ex traditione vel à Spiritu Sancto Paulum ea didiciſſe aliis veriſimile eſt. Eſtius putat, poſterius non eſſe probabile cùm non magnoperè referret, Magorum iſtorum nomina noſſe, ideo verò Paulum ea recitanda putaſſe, quia Timotheo ſcribebat Judæo, qvi cum ſacris literis etiam traditiones non ſcriptas Hebræorum didicerat. Atqvi 1. non ſolùm dogmatica ſed etiam hiſtorica Prophetæ & Apoſtoli ex revelatione Spiritûs S. cognoverunt. 2. Paulus ut reliqva omnia ita qvoqve hæc Magorum nomina ex inſpiratione Spiritus

ritus

ritus Sancti in literas redegit, eccur igitur non ſit probabile, qvod eadem ex Spiritus ſancti revelatione habuerit cognita. nimium ſunt inepti, qvi prætextum hinc arripiunt, ut partim traditiones qvaſdam, qvas Patrum vocant, & partim indoctorum qvorundam hominum non modo ineptiſſimas ſed etiam plane impias nugas Eccleſiæ Dei obtrudant. Eſtius ad h. l. ſic commentatur. Docet hic locus etiam antiqvitus apud Judæos extitiſſe extra ſcripturam ſacram veras qvasdam, & à piis agnitas & receptas traditiones: qvô magis eccleſiæ fides habenda eſt, dum à Chriſto vel Apoſtolis acceptas traditiones in medium profert. ℞. 1. Nondum apodicticè demonſtratum Paulum hæc nomina ex traditione hauſiſſe, cùm æqvè probabile ſit ex Spiritûs ſancti revelatione eadem habuiſſe cognita. 2. Hiſtoricas traditiones cum fidei articulis in ſcriptura revelatis minimè pugnantes haud qvaqvam rejicimus. Eſt verò hæc traditio Hiſtorica non dogmatica. Vide Gerhard. in h. epiſt. p. 61.

OCCASIO eadem ut in præcedenti. Præterea cùm Paulus ex revelatione Spiritûs cognitum haberet, ἀνάλυσιν ſuam eſſe in propinqvô, ſuperſtite adhuc vitâ, de rebus futuris diſponere voluit, de penulâ, membranis, adventu Timothei.

V. SCRIPTIONIS LOCUS. Scripta eſt Romæ è vinculis, teſte ſubſcriptione vulgatâ in Græcis & Syro. Nam catenæ & vinculorum ſuorum meminit cap. 1. v. 8. cap. 2. v. 9. fuit hæc ſecunda Pauli captivitas, inter qvam & primam integrum ferè decennium interceſſit. vid. plur. num. V. de Epiſtolis Pauli in genere.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

VI. SCRIPTIONIS TEMPUS. Omnium fermè interpretum tam veterum, qvàm recentiorum conſenſu hæc epiſtola inter Paulinas eſt omnium poſtrema, inſtante jam Martyrio ab ipſo ſcripta, qvod haud obſcurè etiam colligitur ex ejusdem cap. 4. v. 6. 7. 8. Eſtius Baronium & Salmeronem ſecutus, ſtatuit hanc epiſtolam inter eas, qvæ in primis vinculis Româ datæ ſunt, aut primam eſſe aut ſecundam, ſcriptamqve multis annis ante Pauli obitum videlicet tertio aut qvartô Neronis annô, cùm martyrium ipſius inciderit in annum Neronis decimum tertium.

Argumenta profert hæcce:

1. Paulus Romam veniens Timotheum de ſucceſſu primæ ſuæ defenſionis apud Neronem certiorem reddere voluit. vid. c 4. v. 16. 2. recentem ejus in urbem adventum arguunt, qvæ habentur cap. 4. v. 13. &. 20. 3. Paulus in hac epiſtola non ſenſit finem vitæ ſuæ inſtare, ſed contra potiùs ſignificat adhuc ſe reſervari ad implendum prædicationis officium in gentibus, ut videre eſt cap. 4. v. 17. ſtatuit itaqve Baronius Epiſtolam hanc miſſam eſſe aut ſimul cum epiſtola ad Epheſios, aut non multò poſt eam & ante tres alias, videlicet, ad Philippenſes, ad Coloſſ. & ad Philemonem ſcriptam. In hac enim Timotheus Romam vocatur: in illis Timothei nomen adſcribitur, velut jam præſentis & conſortis in ſcribendo. Item in hac Marcus jubetur aſſumi Romam venturus, qvi idem in epiſtolis ad Coloſſenſes & ad Philemonem Romæ ſcriptis unus eſt ex ſalutantibus. Scriptam eſſe paulò poſt epiſtolam ad Epheſios ex eo conjecturam capiunt, qvod illa per Tychium miſſa ſit, in hac verò dicatur: Ty-

Tychicum miſi Epheſum, velut de re nuper facta. Sed argumenta mere ſunt probabilia, ideò non opus eſt, ut à clara litera cap. 4. v. 6. & à communi interpretum conſenſu diſcedamus. Cajetanus etiam fatetur Paulum c. 4. v. 16. loqvi de defenſione non omnium primâ ſed qvam primam habuit poſt ſecundum ſuum in urbem Romam adventum. Ad tertium, interpretatio illa qvâ mors inſtans vocari poteſt, qvæ longe adhuc abeſt haud idonea eſt. Quis enim mortem poſt decem annos futuram, inſtantem mortem vocavit unqvam. Chryſoſtomus hanc epiſtolam vocat Teſtamentum Pauli jam jam morituri.

VII. SUMMA. Argumentum totum ferè eſt νουθετικὸν hoc eſt, variis admonitionibus undiqve refertum, de ordine & diſciplinâ in Eccleſiis Chriſti ſervandâ, déqve aliis Epiſcopi officiis: nam hortatur Timotheum, ut ſinceritatem doctrinæ ſummô ſtudiô tueatur, nec ullis periculis ab ejus confeſſione ſe dimoveri patiatur: & præmonet à Spiritibus ſeductoribus, qvi tum in Eccleſia oriebantur.

VIII. PARTITIO. Eſt bipartita: una pars continet exhortationem. c. 1. 2. 3. altera correctionem c. 4.

IX. USUS. Plena eſt hæc epiſtola ſaluberrimis præceptis, qvæ Paſtori animarum ad munus ſuum ritè exeqvendum valde ſunt neceſſaria. Et ſicut Paulus Col. 2. dicit, ſe, dum viveret, ſolicitum fuiſſe de plerophoria fidei illorum, qvi faciem ipſius in carne non viderant: ita jam moriturus eandem ſolicitudinem Eccleſiæ oſtendit pro totâ poſteritate, qvæ faciem ipſius non viſura, & vocem non auditura erat in hac vita. Ideoque cap. 3. v. 16. ut de ſcripturæ ſufficientiſſimâ perfectio-

fectione certò nobis conſtaret, voluit univerſæ ſcri-
pturæ V. & N. T. clariſſimũ & pulcherrimum præbere
teſtimoniũ. Si enim Eccleſię Doctor ex ſtudio ſcripturę
id conſeqvi poteſt, ut ad omnes officii ſui partes ſit ſuffi-
cienter inſtructus, utiqve ſcriptura eſt perfecta. i.e, con-
tinet omnia, qvæ ad ſalutẽ conſeqvendã ſcitu neceſſa-
ria. Conſeqventia probatur, qvia hic finis eſt Mini-
ſterii Eccleſiaſtici ſalus hominum, unde v. 15. dicit
Apoſtolus ſacras literas nos poſſe σοφίσαι ſapientes red-
dere ad ſalutem. Vulgatus vertit inſtruere, qvod pro
ſapientiam docere poſitum eſſe agnoſcit Cajetanus.
Arias Montanus item reddit, ſapientem reddere,
qvemadmodum & vetus Interpres Ψal. 19. v. 8
Σοφίζουσα τὰ νήπια, ſapientiam præſtans parvulis. Sic Pſal.
105. v. 22. καὶ τοὺς πρεσβυτέρους αὐτοῦ σοφίσαι, ut ſenes ejus pru-
dentiam doceret. Ipſa etiam etymologia oſtendit,
qvod σοφίσαι utpote à σοφὸς deductum ſignificat ſapien-
tem reddere, ſecundariò inſtruere. Vide Rivetum in
catholico Orthodoxo. Tract. 1. controverſia 9. Exci-
piunt Pontificii: Si poſſet Scripturæ perfectio ex hoc
loco colligi, ſeqveretur ſolam V. T. ſcripturam ſuffice-
re, nec opus eſſe qvatuor Evangeliis, nec reliqvis. N.
T. libris. Nam de ſcriptura V. T. Paulum hìc loqvi
conſtat, tum qvia N. T. ſcriptura nondum erat canoni
Sacrorum librorum agglutinata, imô qvadam etiam
ex parte nondum erat conſcripta, tum ex eo, qvod
præcedit, ab infantia ſacras literas noſti. Non enim po-
tuit ab infantia noſſe libros N. T. qvi eô infante aut
puero nondũ extabant. Reſp. 1. Canon ſemper fuit in-
teger ſed pro diverſis temporibus: tempore Moſis fu-
it perfectus canon, & jam eſt perfectus canon, acceſ-
ſio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ſio enim qvæ facta eſt, Dei voluntate facta eſt, nec novam doctrinam ſeu cultum, ſed prioris uberiorem explicationem continet, ideoqve non ſeqvitur hodierno tempore N. T. ſolam V. inſtrumenti ſcripturam ſufficere, nec opus eſſe N. T. libris, nam ex hypotheſi divinæ voluntatis ad canonis integritatem omninò erant neceſſarii. 2. invertimus argumentum. Si libri V. T. hominem Dei perfectum, &c: reddere poſſunt, qvantô magis hodie tota ſcriptura, poſtqvam tot libri ad canonem acceſſerunt. 3. Scripſit Paulus hanc epiſtolam morti vicinus, ut antea probatum, tunc autem extitiſſe qvædam N. T. ſcripta, negari non poteſt, & qvidem illa ipſa, qvæ extiterunt, Timotheum legiſſe certum eſt. Epiſtolæ ad Romanos ſalutem ſuam adſcripſerat, priorem ad Cor. attulerat: poſteriori ad Corinthios, utriqve ad Theſſalonicenſes, itemqve illi, qvæ eſt ad Philippenſes, Coloſſenſes, Philemonem ſubſcripſerat, & priorem ad ſe ſcriptam legerat. Et certe oportuit eum & noviſſe & legiſſe evangelium Matthæi, qvod omni remoto dubio jam tum extabat. Totum ergo ſcripturæ Canonicæ ſyſtema qvod tunc exſtabat Apoſtolus conſiderat. 4. Nec aſſertioni noſtræ, qvid decedit, qvod verſu præcedenti ſcribit Apoſtolus, Timotheum ἀπὸ βρέφους noviſſe, qvando non niſi Veteris Teſtamenti libri extiterunt. Nam τὸ ἀπὸ βρέφους non notat ſaltem annos infantiæ, ſed eorundem tractum ab infantia ad virilem ætatem & deinceps. Hæc omnis, qvæ tum extitit ſcriptura dicitur θεόπνευστος: Et qvæ poſt hanc ſcripta ſunt non excluduntur, ſed ut partes integrales per qvandā analogiam includuntur, ut etiam ſint θεόπνευστα eſt verbo Dei intrinſecum. In Pircke Aboth Judæorum eſt decretum ut puer qvinqve

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

annorum ad Biblia applicetur, huc videtur Apoſtolus reſpexiſſe, dum à puero Timotheum in Bibliis verſatum ait. Porrò per πᾶσαν γραφὴν intelligit συλλήβδην, ſcripta qvæ extabant canonica omnia, non hunc vel illum ſigillatim librum Biblicum, loquitur enim de illa διδασκαλίᾳ, ἐλέγχῳ, ἐπανορθώσει, παιδίᾳ, qvâ homo Dei (hoc eſt Eccleſiæ Doctor) redditur perfectus, qvæ non ex uno vel libro vel capite ſcripturæ deſumi poſſunt. Licet interim non negem, nullum in ſacris extare verſiculum, qui non aliqvid ejus generis ſubminiſtret: Sed hoc loco tanta de ſcriptura ſacra enuntiantur, qvibus ſingula ſcripturæ dicta paria non ſunt, ſed totum ſcripturæ ſyſtema. Hìc ergo locum habet regula logica, ſubjecti modulum monſtrat menſura tributi. Nec reſpuit hanc expoſitionem vocabulum πᾶν, qvod non ſolùm apud ſacros & profanos auctores diſtributivè pro qvocunqve, ſed & collectivè, pro toto uſurpatur. Vide Matth. 3. v. 5. c. 6. v. 29. Coloſſ. 2. v. 9. Epheſ. 4 v. 16. apud Ariſtotel. lib. 5. Metaphys. c. 26. & alibi. ſic כל in Veteri Teſtamento totum qvandoqve ſignificat. Gen. 7. v. 1. וכל־־בותך & tota domus tua. Pſal. 33. v. 6. כל־־צבאם totus exercitus eorum, qvomodo & vetus Interpres τὸ πᾶν rectè per totũ exponit. Matth. 8. v. 34. Ebr. 2. v. 15. & alibi, eodem modo hìc πᾶσα pro ὅλη uſurpatur. Sic nihil freqventi⁹ eſt in communi ſermone, qvã omnem plebem, cœtum, exercitum dicere pro toto & univerſo. Annotant qvoq; omnes ferme Lexicographi τὸ πᾶν aliàs ſumi diſtributivè pro numero diſtinctis ſeu ſingulis, aliàs collectivè, idemq; valere, qvod totum ſeu univerſum. Quem vero ſenſum habeat, ex ſubjecta ſemper materia judicandum eſſe. Tota igitur Scri-

ptura

ptura ſufficiens eſt ad διδασκαλίαν. &c eſſentiali ſufficientiâ per omnes libros fuſâ: ſinguli itidē libri ſufficientes ſunt, ſufficientiâ partiū, ad quā ſunt ordinati. Falſa ergo eſt hæc collectio: Omnis ſcriptura perfecte inſtruit ad vitam æternā. Ergo & qvilibet liber, qvodlibet caput & qvævis periodus. Nam πᾶσα collectivè hic ponitur præſertim cum ſcriptura non ſit totum genericum ſed integrale. Natura generis communicatur omnibus ſubjectis partibus h. e. ſpeciebus; integri vero natura non ineſt cuilibet parti integranti, alias integrans foret ipſum integrum. Omnes qvidem partes faciunt ad integri perfectionem, non tamen omnes eadem participant, ideo qvod tribuitur toti ut toti, hoc de ſingulis partibus neqvit prædicari. Verum cum particula omnis toti generico attribuitur tum ſemper diſtributive poteſt accipi, e.g. omne animal ſentit, diſtributive hoc accipi poteſt, qvod & homo & aſinus & cœtera animalia ſentiant. Sic rectè infertur omnis ſcriptura divinitus eſt inſpirata. Ergo & ſinguli libri, nam Scriptura hic non qvoad naturam ſuam & ut totum integrale, ſed ratione communium quarundam affectionum conſideratur, & agitur de cauſa efficiente, quam communem habent cum toto partes ſingulæ & univerſæ, ideoq; particula Omnis rectè hic diſtributivè ſumitur. Vid. Meiſn. Philos. Sobr. part. 2. p. 318. ſeq.

Excipiunt iterum Pontificii: Apoſtolus dicit v. 17. ad omne opus bonum, eô ſigno univerſali non vult comprehendere ſingula generum, ſed genera ſingulorum, id qvod ex præcedentibus manifeſtum, ubi genera duntaxat boni operis. i. e. officii Epiſcopalis enumeravit. Sed rectiſſimè Gerhardus in h. l. reſpondet. 1.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

Quamvis vocula πᾶν qvandoqve de generibus ſingulorum tantum uſurpetur, non tamen ſeqvitur, etiam hoc loco ſic uſurpari. 2. Apoſtolus enim in præcedentibus dicit, ſcripturam ad ſalutem nos ſapientes reddere, ergò non tantum ad genera ſingulorum, ſed etiam ad ſingula generum in omni bono opere nos inſtruit. 3. Aliud eſt, eſſe qvovis modo utile ad docendum, redarguendum, corrigendum, & erudiendum in juſtitia: aliud verò eſt ita eſſe utile ad docendum, redarguendnm, corrigendum, & erudiendum in juſtitia, ut homo Dei ſit perfectus i. e. ut cum utilitate illa perfectio ſit conjuncta. Apoſtolus non ſolùm prioris, ſed etiam poſterioris generis utilitatem cum perfectione coniunctam Scripturæ tribuit. Ergò non ſolùm ad genera ſingulorum, ſed etiam ad ſingula generum utilitatem illam determinat. 4. Qvamvis genera duntaxat officii Epiſcopalis Apoſtolus enumeret, tamen cum ad genera illa officii Epiſcopum ſufficienter ex Scriptura inſtrui poſſe aſſerat, utiqve etiam ad ſingula generum ſcripturam ſufficere reipſâ aſſerit. Vox ὠφέλιμος v. 16. non tantum exponi poteſt de utilitate & convenientia, ut idem ſit ac χρήσιμος, verùm etiam de ſufficientia & perfectione, ut idem ſit ac αὐταρκὴς, qvod & patet, ex additis ad doctrinam. &c: perperam igitur excipit Bellarminus. Non omne qvod utile, idem ſufficiens eſt. Nam Paulus dicit, omnem ſcripturam ita eſſe utilem ad doctrinam &c. ut etiam perficiat hominem Dei ſeu miniſtrum eccleſiæ & ad omne opus bonum abſolutum faciat. Quod ita utile eſt, utiqve etiam ſufficiens eſt. Legunt; exemplaria pleraque ἐξηρτισμένος v. 17. Complutenſis ἐξερτυμένος ſenſu fere eodem. ἐξαρτύ-

ἐσθαι

εσθαι Svidæ idem eſt qvod ἐκπληρῶσθαι. Cognatæ voces ſunt ἄρτιος & ἐξηρτισμένος, & ambæ ſignificant abſolutè perfectum. ἄρτιος idem eſt ac τέλειος, cui nihil deſit, aut ſuperſit, metaphora deſumpta eſt à numeris, nam ἄρτιον ἄριθμον numerum parem vocant, qui in duas partes æqvales dividi poteſt. Ab ἄρτιος deſcendit verbum ἀρτίζω & compoſitum ἐξαρτίζω ſignificans idem qvod perficere, perfectum & abſolutum reddere, aut perfectè inſtruere & apparare, adéoqve idem qvod cognatum καταρτίζω. cujus exempla occurrunt, Matth. 21. v. 16. Heb. 11. v. 3. Luc. 6. v. 40. Epheſ. 4. v. 12. 2. Cor. 13. v. 9. 1. Theſſal. 3. v. 10. Dicitur ergo ἄρτιος ἢ ἐξαρτισμένος, qvi ad omnes officii ſui partes exeqvendas ſufficienter inſtructus eſt. Ideoq; min⁹ recte vertit Caſtellio, compoſitus i. e. qvi ad perfectam illam ſapientiam audiendam ſit accommodatus. Exponitur ab Oecumenio ἀπερτισμένος ἢ πεπληρωμένος, qvaſi dicas integrè, plenè, conſummatè, a Chryſoſtomo μετὰ ἀκριβείας h. e. accuratè & exactè inſtructus. Fruſtrà ergo excipit Bellarminus: Scriptura perfectum reddit hominem, qvia multum expreſſè continet, & qvæ non continet oſtendit, unde ſint petenda. Nam manifeſta eſt contradictio, Scripturam ſufficienter inſtruere & perficere hominem & tamen non omnia continere, qvæ ad inſtructionem & perfectionem hominis pertinent. Extra ſcripturam alium fontem rerum divinarum non agnoſcimus. Rectè ait Hieronymus, qvod de Scripturarum auctoritate non eſt, illâ facilitate rejicitur, qvâ aſſeritur. Vocula Θεόπνευστος v. 16. non ad ſubjectum enunciati pertinet, ut qvidam volunt, ita ut illâ Paulus hanc ſcripturam à profana ſeparet, nam 1. præcedenti verſicul. jam ſub-

 jectum

jectum determinaverat, ἱερὰ γράμματα nominârat, & ſic hìc ſupervacanea determinatio, cùm de eodem hic, de qvo ante loqvatur ſubjecto. Secundo. Particula καὶ hanc cum reliqvis qvæ prædicati vicem obtinent nectit, pertinet igitur ad prædicatum, & illam ſcripturam, qvam dixerat, ſacram, commendat ab auctoritate inſpirantis Dei. Vide Quiſtorpium in h. l. Quæritur hìc, an ſcriptura ſit tantum divinitus inſpirata ratione originis, an verò etiam reſpectu virtutis & efficaciæ in auditoribus. Reſp. Diſtinguendo inter inſpirationem immediatam Prophetis & Apoſtolis ſolis propriam, & mediatam, qvam etiam reſpectu auditorum dari concedimus. Nam Apoſtolus ait 2 Cor. 5. v. 20. Deum exhortari per Doctores, qvorum verbum, non eſt verbum hominum, ſed Dei. 2. Theſſ. 2. 13. cum ergò Deus per miniſterium ſcripturæ nobiſcum operetur, qvi poteſt hoc fieri ſine divina inſpiratione eorum, qvæ ad ſalutem ſunt neceſſaria? Paulus qvoqve teſtatur hoc ipſo in loco ſcripturam utilem eſſe πρὸς διδασκαλίαν &c. & nos σοφίσαι σοφίᾳ nempe verè divinâ, qvæ intellectum humanum ſuperat; effectus hos merè divinos, ab inſpiratione divina eſſe, neceſſum eſt; aliàs eorum incapaces erimus. V. 17. Per hominem Dei Cajetanus intelligit hominem totum Deo deditum. Sed minus commodè, rectiùs dicitur per hominem Dei hôc loco intelligi Doctorem Eccleſiæ, ad cujus officium pertinet ἡ διδασκαλία, ὁ ἔλεγχος, ἡ ἐπανόρθωσις καὶ ἡ παιδεία. Idem colligitur ex ſcopo hujus Epiſtolæ, qvi eſt informare miniſtrum Eccleſiæ. Dicituris homo Dei, qvia Dei nomine, & in his qvæ Dei ſunt, populo præeſt. 1. Tim. 6. v. 11. 1. Cor. 4. v. 1. & veriſimile eſt Apoſtolum

reſpi-

reſpicere ad illud, quod in V. T. Propheta peculiariter vocabatur vir Dei איש האלהים. Iſch haelohim Deut. 33.1. Pſal. 90.1. 1. Sam. 9. v. 6. 1. Reg. 17. v. 18. 2. Reg. 4. v. 7. V. 16. Enumerantur quatuor præcipua doctoris eccleſiæ officia, ad qvæ ritè peragenda ſufficienter ex Scriptura inſtruitur. Duo priora ad intellectum & dogmata, duo poſteriora ad voluntatem & ad mores ſeu agenda ſpectant. Primum eſt διδασκαλία, per qvam intelligitur informatio ſana & ſalutaris in fidei articulis & totâ doctrinâ Chriſtianâ. Alterum eſt ἔλεγχος, per qvem intelligitur ſolida refutatio errorum cum orthodoxia pugnantium. Luther. vertit Straff ſed rectius Offverbeviſning / & ſic vernacula noſtra nova in margine. Tertum eſt ἐπανόρθωσις per qvam intelligitur vitæ & morum correctio, quæ fit per admonitiones, increpationes, correptiones. Quartum eſt παιδεία ἐν δικαιοσύνῃ per qvam intelligitur exhortatio ad juſtam & ſanctam vitæ converſationem. Rom. 15. 4. additur παράκλησις conſolatio. Sed illa hoc loco vel ſub doctrina vel ſub inſtitutione comprehendi poteſt. Qui enim alium conſolatur, docet eum de ſapientia Dei in gubernandis electis, eumque inſtituit de officio ſuo in tolerandis perſecutionibus. Vid. Gerhard. in h. l. & eruditiſſimam Excellentiſſ. Dn. D. Iohan. Wandalini diſp. de ſcriba edocto ad reg. cœlorum, paragr. 47. 48. p. 98. ſeq.

SUMMARIUM.

Cap.

I. Adhortatur Timotheum, ut intrepidè prædicet Evangelium Chriſti.

II. Perſeverantiam in militia Chriſtiana commendat: verbum rectè & ſincerè tractandum: impii fugiendi & modeſtè agendum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

III. Prædicit orituros falſos Doctores: Timotheum ad conſtantem doctrinæ ſemel ſuſceptæ profeſſionem, & ſacrarum literarum indefeſſum ſtudium hortatur.

IV. Timotheum ſeriò ad officium fideliter præſtandum exhortatur: Enumerat perſonalia qvædam præcepta: Annectit ſalutationes, & voto Apoſtolico concludit.

EPISTOLA PAULI AD TITUM.

I.

NOMEN. Titus, ad quem hæc epiſtola ſcripta eſt, fuit Patriâ Græcus. Gal. 2. v. 3. qvem, licet Timotheum circumcidiſſet Paulus, noluit tamen propter ingreſſos falſos fratres circumcidi, ut ibid. extat v. 4. Magnoperè autem commendatur Titus in ſacris. Paulus in hac ipſa epiſtola appellat eum γνήσιον, germanum, genuinum ſuum filium cap. 1. v. 4. τέκνον filium appellat κατὰ κοινὴν πίστιν, qvia per Evangelii prædicationem ipſum ad fidem perduxerat, & hâc ratione ſpiritualiter genuerat. γνήσιον vocat ratione doctrinæ & imitationis, qvia multos ſicut Paulus labores & perſecutiones propter fidem tolerabat. 2. Cor. 2. v. 12. illum fratrem ſuum nominat. 2. Cor. 2. v. 23. dicit eum ſocium & adjutorem ſuum. 2. Cor. 12. v. 18. dicit, qvod cum ipſo ambulaverit eodem ſpiritu & iisdem veſtigiis. Peregrinatus eſt ſuâ ſponte Corinthum. 2. Cor. 8. v. 17. ut videret iſtas eccleſias & exploraret, qvô eſſent animo erga Paulum. Hinc redit ad Paulum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

in Macedoniam, qvem mirificè adventu ſuo recreat. 2. Cor. 7. v. 13. renuncians Apoſtolo Corinthiorum ſtudium erga ipſum v. 6. 7 Atqve tunc temporis Paulus ſcripſit epiſtolam ſuam ſecundam ad Corinthios, eamqve per Titum & Evangeliſtam Lucam miſit Corinthum, ut epilogus ejusdem epiſtolæ teſtatur. Illuc veniens collegit eleemoſynas in neceſſitatem fratrum, qvi erant Hieroſolymis, ſed qvâ occaſione poſtea cum Paulo in Cretam venerit, non certò conſtat. Chemnit. in exam. Concil. Trid. p. 28. ſtatuit, Paulum cum Macedoniam peteret, in illo itinere perveniſſe in Cretam, & qvia ab ea proxima eſt Epirus, ubi Nicopolis ſita eſt, inde in Epirum ſe contuliſſe. Ut ut ſit, hoc certum eſt, qvod Paulus reliqverit ipſum in Creta (in qvam inſulam aliqvando venit, ut conſtat ex hac epiſtola v. 12. c. 3. anteqvam captivus eò appelleret. Act. 27. v. 7. Vid. Bezæ annot. p. 480) & ibi illum primum Epiſcopum Cretenſium conſtituerit. Hunc titulum impugnat Beza in annotat. c. 3. v. 4. qvia nondum invaſerat eccleſiam illa Epiſcopalis gradûs tyrannis, nec Epiſcopus anguſtâ ſignificatione, ſed Evangeliſta fuit Titus. Sed ℞. tempore Apoſtolorum Epiſcopatus nomen fuit operis & laboris, non honoris aut eminentiæ otioſæ: ἐπισκοπὴ enim eſt ab ἐπισκέπτεσθαι ab inſpiciendo, inviſendo, viſitando, & Epiſcopi officium erat docere Evangelium, gubernare eccleſiam verbo Dei, & diligenter inſpicere ſtatum eccleſiarum vicinarum, ne qvid detrimenti (vel per falſos Doctores, vel per ingruentia offendicula) caperent: & ferè majora erant pericula Epiſcoporum, qvam corporalia commoda & præmia: in perſecutionibus enim impii imprimis in Epiſcopos

 graſſa-

graſſabantur. Ex hac inſula iterum, cùm Paulus ſecundò captivus Romæ teneretur, abiit Titus, & Paulo captivo aliqvamdiu adfuit, à qvo tandem ſuâ voluntate in Dalmatiam abiit, ut extat 2. Tim. 4. v. 10. An autem inde rurſus in Cretam redierit, ibiqve ut qvidam volunt mortuus ſit anno ætatis 94. relinqvitur in ſuſpenſo. Ex dictis patet, qvod ſemper fuerit fidelis amicus & dilectus miniſter Apoſtoli. Pauca qvædam monere lubet de Cretenſibus, qvorum Epiſcopus Titus conſtitutus fuit. Regnavit in Creta Cres qvidam indigena, à qvo tota inſula denominata eſt: alii tamen nomen traxiſſe volunt à Creta tenaci qvadam terrâ, qvâ fullones in abluendis maculis utuntur. Sita eſt hæc ampliſſima inſula in medio Ponto, qvæ à Septentrione alluitur mari Cretico, ab Auſtro mari Africo. Ferax eſt optimi vini. Centum olim habuit civitates, unde & ἑκατόμπολις ab Homero nominatur. Cupreſſos alit, auctore Plinio, & nigras populos. Habitatores ejus omnes claruerunt arte ſagittandi. Factionibus & bellis inteſtinis freqventer inter ſeſe Cretenſes pugnabant, ſed invadentibus aliunde hoſtibus, qvi modò videbantur hoſtes acerrimi repentè omiſſâ contentione in ſummam concordiam redigebantur, non qvod ſeſe ex animo diligerent, ſed qvod ob commune malum alter alterius ope egeret, ut conjunctis copiis communem inimicum peſſundarent, hinc συγκρητισμὸς, vide Plutarchum περὶ φιλαδελφίας. Dædalus hìc ad ſimilitudinem ædificii portentoſi in Ægypto labyrinthum extruxit, ſed non centeſimam imitatus partem. Aliqvi putant montem fuiſſe excavatum tantâ viarum peplexitate, ut introeuntibus non pateret reditus ſine lumine accenſo. Vid. Munſter. in Coſmograph.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

grpah. Hodie Venetis paret, nam cum anno P. C. 1205. teſte Calviſio, Conſtantinopolis caperetur, Venetis ex fœdere dimidium prædæ debebatur, ideo ipſis Creta inſula datur, & omnes ferè aliæ inſulæ maris Iony & Ægæi, ſed Turcarum irruptionibus admodum agitatur. In illa urbes celebres ſunt Canea, Rethymus, Candia, Sittia. Extant varia à Cretenſium moribus, qvos plurimis conviciis inceſſit antiqvitas, deſumpta adagia, ut: Cretenſis Cretenſem. ὁ Κρῆς τὸν Κρῆτα. Κρῆς πρὸς αἰγινήτην. Cretenſis cum Ægineta. πρὸς Κρῆτα κρητίζειν, Cretiza cum Cretenſi: qvæ omnia qvadrant in pariter improbos & perfidos, qvi mutuis inter ſe fallaciis agunt. Crctenſium mores etiam perſtringuntur ab Apoſtolo cap. 1. v. 12. & ſicut ab Epimenide in opere cui titulum fecit de Oraculis appellantur ſemper mendaces. Similiter Cilices olim pigritiæ & Cappadoces olim fraudulentiæ accuſati ſunt, unde proverbium τρία κάππα κάκιστα. Adagio de Cretenſibus conſonat illud Ovidii de arte amandi lib. 1. non hoc, qvæ centum ſuſtinet urbes, qvamvis ſit mendax, Creta negare poteſt. Sunt tamen, ait Hieronymus, qvi putant hunc verſum, qvo mores Cretenſium perſtringuntur, de Callimacho Syrenenſi Poëta ſumptum, & aliqva ex parte non errant: ſiqvidem & ipſe in laudibus Iovis adverſus Cretenſes ſcriptitans, qvi ſepulchrum ejus ſe oſtendere gloriabantur, ait, Cretenſes ſemper mendaces, qvi & ſepulchrum ejus ſacrilegâ mente fabricati ſunt: verùm integer verſus de Epimenide Poëta ſumptus eſt & ejus Callimachus in ſuo Pöemate eſt uſus exordio, ſive vulgare proverbium, quô Cretenſes appellabantur, ſive furto alieni operis in metrum retulit. Hæc ille in epiſt. ad Titum,

Appellatur etiam ab Apoſtolo Propheta, qvi hunc verſum ſcripſit, at talis à Cretenſibus habitus fuit Epimenides, cui poſt mortem ſacrificarunt, teſte Läertiô. Cicero qvoqve lib. 2. de Divinat. primò Cretenſem Epimenidem numerat inter eos, qui per furorem ſunt vaticinati: & Apulejus lib. 2. florid. illum cognominat fatidicum. Aliàs non ignotum Poëtas dici vates, qvia ſingularem inſtinctum habere credebantur. Alij hìc agnoſcunt ironiam, qvaſi Poëtam Apoſtolus vocavit Prophetam, qvia talibus Chriſtianis qvales Cretenſes, tales congruebant Prophetæ. Aliis Propheta idem eſt ac Doctor Ethicus, qvi moralia docet. Audiverunt Cretes Jeroſolymis Apoſtolos loqventes aliis lingvïs. Act. 2. 11. ubi intelligi poſſunt, vel Judæi Cretenſes, vel Cretes proſelyti, id eſt, Cretes in genere, qvi erant amplexi religionem Judaicam, & ex Joſepho patet, Judæos multos migrâſſe in Cretam vid. Joſeph in lib. Antiqvit. qvi etiam in vita ſuâ ſub finem refert, ſe priore uxore dimiſſâ duxiſſe mulierem Cretenſem, Judæam genere parentibus natam domi nobiliſſimis. In hac inſula Deus omnium ſitiens & qværens ſalutem eccleſiam ſibi erigi curavit miniſteriô Pauli, qvæ Tito commendatur. Tit. 1. v. 5.

II. AUCTOR. III. AUCTORITAS, ut in antecedentibus.

IV. OCCASIONEM ipſa epiſtola cap. 1. v. 5. cap. 2. v. 8. 15. cap 3. v. 8. apertè indicat. Titum itaque inſtituere voluit, non ut Chriſtianum qvemlibet, ſed ut Chriſtianæ plebis Epiſcopum. Ex locis autem citatis duplex potiſſimum cauſa impulſiva elicitur, cur Paulus voluerit ſcribere Tito. 1. Concernebat officium Titi. 2. Doctrinam ipſius. Officium quod attinet, erat

ille

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

ille Epiſcopus in inſula Creta conſtitutus & mediatè à Deo per Paulum ad hoc officium vocatus. Monet itaqve Paulus, ut qvod ipſe apud Cretenſes cæperat, conſumat abſolvàtqve, & paſtores & Miniſtros verbi in Eccleſiis per totam inſulam diſperſis, inſtituat & ordinet, & ut ordinandis ſemper ob oculos ponere poſſet diploma manu Pauli ſcriptum, eoqve probare, ſe non temerariò & propriò auſu ſuſcipere hanc reformationem & ordinationem, ſed facere hoc ex mandato Apoſtolicæ auctoritatis, ſeqve divinitùs mediatè tamen vocatum eſſe ad iſtam inſpectionem, itaqve viſum fuit Paulo neceſſarium, auctoritatem & reverentiam Tito hiſce literis conciliare maximè viro adhuc juveni. Deinde ratione doctrinæ, ut ipſe Titus in ſe confirmaretur & tutò auditores ſuos omnes convincere poſſet, ſcriptò hôc teſtimonio, ſub ſigillo & manu Pauli, fidelem eſſe ſermonem hunc, qvem ipſe tantâ aſſeveratione proponeret. Deniqve ne hic fidelis ſermo excideret. vox enim audita perit, litera ſcripta manet. Quod Pauli conſilium & prudens, & honeſtum, & ſalutare ſemper fuit Eccleſiæ. Vid. Chemnit. in Exam Concil. Trid. p. 28. Cramer Iſagog.

V. LOCUS & TEMPUS SCRIPTIONIS. Chemnitius Exam concil. Trid. p. 28. ait Quia ab Epheſo Paulus ita profectus eſt, ut iret in Macedoniam: in illo igitur itinere pervenit in Cretam, & ab ea proxima eſt Epirus, ubi Nicopolis ſita eſt. Poſt paucos igitur dies à diſceſſu ſuo ex Creta Paulus ſcripſit hanc epiſtolam. Scripta eſt Nicopoli Macedoniæ, ut eſt in Græca ſubſcriptione, qvam refellit Beza notis h. l. p. 480. dicit enim Paulum omninò Nicopoli abfuiſſe cùm hanc epiſtolam ſcriberet, nam Apoſtolus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

non dixit v. 12. ἐνταῦθα παραχειμάσομαι hìc hyemabo, ſed ἐκεῖ illic, ut omnino Nicopoli abfuerit cum hanc epiſtolam ſcriberet. Paulum autem ibi hyemâſſe liqvet ex hujus loci collatione cum Act. 20. v. 6. Ubi ſcribitur Philippis non niſi poſt Paſchæ dies ſolviſſe. Sed tamen Hieronymum, Athanaſium, Oecumenium, Theodoretum, ſecutus defendit Baronius. Tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 58. ex cap. 3. v. 12. vide plura de epiſtolis Pauli in genere.

VI. SUMMA. Ut Timotheus Epheſinæ, ita Titus Cretenſi Eccleſiæ ab Apoſtolo fuit præfectus, proinde utrúmqve de officio ritè obeundo inſtruere voluit. Eſt ferè ejusdem argumenti cum priore ad Timotheum, cujus epitome non inconcinnè dici poteſt.

VII. PARTITIO. Partes epiſtolæ tres ſunt. In prima docet, quales perſonæ ad eccleſiaſtica munera eligendæ. In ſecunda ſingulis ſua munia præſcribit. In tertia Titum officii ſui admonet. Vel habet duas partes una eſt de moribus Epiſcopi cap. 1. Altera de converſatione domeſtica & civili. cap. 2. 3.

VIII. USUS. Non ſolius Titi cauſâ ſcripta eſt hæc epiſtola, ſed ut in illa omnes Eccleſiarum Antiſtites officii ſui rectè adminiſtrandi præcepta acciperent: nam complectitur omnes virtutes, qvibus excellere debent Epiſcopi & alii Eccleſiæ miniſtri. Coſmas Magalianus Jeſuita ſtatuit Paulum propterea in duabus epiſtolis ad Timotheum, & in hac ad Titum de inſtructione ſacrorum miniſtrorum egiſſe, qvia prævidit fore Hæreticos ut Lutherum & Illyricum, qvi dicerent ſacram Miniſtrorum eccleſiæ ordinationem ad profanos Principes & Laicos pertinere Magi-

ſtra-

ſtratus. ℞. 1. Nemo omnium docet, ordinationem pertinere ad Principes profanos & Laicos Magiſtratus, ſed ad perſonas eccleſiaſticas eam unicè pertinere dicimus. 2. Vocationem tribuimus Chriſtiano Magiſtratui, ſed non ſoli, verùm etiam reliqvis Eccleſiæ ſtatibus ſive ordinibus, videlicet Miniſterio Eccleſiaſtico & populo Chriſtiano. Gerh. in epiſt. 1. ad Tim. p. 6. Brevis eſt hæc epiſtola, ut vel hinc Titi virtutem diſcamus, qvod hujusmodi vir non habeat opus multis verbis, ſed veluti admonitione qvâdam.

SUMMARIUM.

Cap.

I. De conſtituendis per civitates Presbyteris & Epiſcopi officio: De vaniloqvis item Cretenſibus & Judæis in externis ſanctitatem locantibus.

II. De ſenibus, junioribus, ſervis, qvomodo in vita domeſtica inſtituendi ſunt.

III. Ordo politicus placidè colendus: ſtultæ qvæſtiones, hæreſes & ſchiſmata vitanda.

EPISTOLA PAULI AD PHILEMONEM.

I.

NOMEN. Quidam putant Philemonem fuiſſe civem Coloſſenſem, viros inter ſuos nobilem, vitâ, moribus & fide Chriſtianum, è gentilitate converſum. Sed verior eſt eorum ſententia, qui dicunt fuiſſe miniſtrum Eccleſiæ, & hoc inde probatur, qvia Paulus eum nominat συνεργον v. 1. qvi res eccleſiæ fideliter promovit, ſuàqve ex parte evangelii curſum non parum adjuvit. Narrat Dorotheus in Synopſi, poſtea eum factum eſſe Gazæ Epiſcopum.

II. AUCTOR, ut antea.

III. AUCTORITAS. Fuiſſe, qvi hanc epiſtolam rejiciendam cenſuerint, tanqvam indignam, qvæ in codice ſacro legeretur, qvia & pro re adeo parva, & pro uno homine humano more conſcripta eſt, aperte conſpicitur ex initio Homiliarum Chryſoſtomi in hanc epiſtolam. Idem ſentiunt moderni Bibliomaſtiges, inter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 86 4° (1,-266)

quos haud poſtremus eſt Pontificius Pyghius: is enim gannit, longè majora myſteria fuiſſe in Apoſtolorũ doctrina, qvàm hìc narrantur de ſervo fugitivo. Id verò ita ſonat ac ſi diceret contra libros Moſis, longè majora Patriarcharum myſteria fuiſſe, qvâm qvæ in Geneſi narrantur, de ovibus, de ſervorum rixis, mulierum contentionibus. Sed hi Subſannatores audiant Hieronymum, qvi ſcribit: Videntur mihi dum epiſtolam ſimplicitatis arguunt, ſuam imperitiam prodere, non intelligentes, qvid in ſingulis ſermonibus virtutis & ſapientiæ lateat, qvæ orantibus vobis & ipſo nobis Spiritu Sancto ſuggerente, qvo ſcripta ſunt, ſuis locis explanare conabimur. Si autem brevitas haberetur contemptui, contemnatur Abdias, Nahum Sophonias & alii duodecim Prophetæ, in qvibus tam mira & tam grandia ſunt, qvæ feruntur, ut neſcias, utrum brevitatem ſermonũ in illis demirari debeas, an magnitudinem ſenſuum? Hactenus Hieronymus Pii etiam Veteres, qvi Canonicos V. T. libros recenſent, hanc epiſtolã non prætermittunt.

IV. OCCASIO SCRIPTIONIS hæc eſt. Oneſimus Philemonis ſervus à Domino ſuo clanculum profugerat, eidemqve furtim qvædam ſurripuerat. Romam veniens ad fidem fuit converſus, & Pauli in captivitate fidelis ſervus factus Col. 4. v. 9. hanc fidelitatem remuneraturus Apoſtolus apud Philemonem diligenter pro ipſo intercedit.

V. SCRIPTIONIS LOCUS & TEMPUS. Scripſit eam Romæ ut docet uſitata ſubſcriptio, & qvidem ex vinculis v. 1. 9.10. &.13. præſentibus ſibi Epaphrâ. v.23 Marco, Ariſtarcho, Dema, Luca, v. 24. & 25 & unà ſecum epiſtolam præſcribente Timotheo. v. 1. Plura videri poſſũt nũ. V. de epiſtolis Paulinis in genere.

VI SUMMA. Oneſim9 ſervus Philemonis abierat invitô Dominô, & Romam veniens Paulum acceſſit, qvi illum fide Chriſtianâ imbuit, Domino reconciliavit, & priſtinô ſervitio reſtituit.

VII. PARTITIO. Duas habet partes. Unâ commendat pietatem & virtutes Philemonis. ad v. 8. Altera reconciliat Oneſimũ.

VIII. USUS. Hac interceſſione ſuâ tam ſolicitâ docet Paulus: Chriſtum veniſſe in mundum, ut peccatores ſalvos faceret, & lapſos ubi reſipuerint, recipiendos, & cum iis quos offenderunt reconciliandos eſſe.

SUMMARIUM.

CAP.

I. Per ſervo. fugitivo & fure veniam deprecatur Paulus. Vel Ignoſcentia Chriſtiana.

EPI-